
ad pag. 29.



Historia et Commentationes Academiae Electoralis ...

Mannheim Academiae electoralis scientiarum et elegantiorum literarum Theodoro-Palatina

F. J. Kisling desig. H. Cöntgen Sc. Mog.

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

9000000

Digitized by Google

129

1^r vol.
Il en faut XI.

Digitized by Google

No. 111. C.4 E.c — 10.

Digitized by Google

ACTA

ACADEMIAE

THEODORO-PALATINAE

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA

ET

COMMENTATIONES

ACADEMIAE ELECTORALIS

SCIENTIARVM ET ELEGANTIORVM
LITERARVM

THEODORO-PALATINAE



MANNHEMII TYPIS ACADEMICIS
MDCCLXVI

Digitized by Google

CONDITORI SVO

AVGVSTO

PRINCIPVM OPTIMO

PIO FELICI

PRIMITIAS HAS

DVM FRVCTVS MATVRIORES FERAT

CVM VOTIS TRICENNALIBVS

REPETENDIS OLIM

CONSECRAT

DEVOTISSIMA

MAIESTATI EIVS

ACADEMIA

THEODORO-PALATINA.

Digitized by Google

PRAEFAMEN.

ACADEMIA Theodoro-Palatina ex incunabulis, in quibus a tribus fere annis latuit, in publicum civitatis literariæ conſpectum ea, quæ frequentiæ hominum nondum aſſuetis inſidet, verecundia primum nunc prodit; utque prodiret, non tam virium ſuarum ſenſus, quam evocantium auctoritas fecit. Meretur itaque tenella adultiorum indulgentiam & fortaſſis amorem, quum omnes ipſa amet, qui vera ſecum & honeſta pie colunt.

In edendis ſane commentationibus ſuis academia ſibi poſuit legem, ut argumentum ſit aut novum plane, aut nova ſaltem doctrina perfectius illuſtratum: ut ſit dignum luce & uſum quendam habeat inſignem: ut, quæ afferuntur, ſint vera aut certe veroſimillima.

Cum ſocietas in duas deſcripta ſit claſſes, hiſtoricam & phyſicam, ſcripta ſociorum in totidem diſtincta ſunt partes. In ordinanda priore temporis,

Digitized by Google

cui ſingula inhærent, ratio habita eſt; naturæ, quantum licuit, in poſteriore.

Commentationes has academicas antecedit hiſtoria, qua auſpicia collegii, leges, ſocii & fata reliqua paucis enarrantur. Adjecta ei itinera literaria duo, & opuſcula præmiis victricia, non omnia, ſed illa tantum, quæ typis digniora ſunt viſa. Juvat nonnunquam, in principio maxime, coronari certantium primum, cæteros qui antecellit, deſiderio licet academiæ non fecerit omnino ſatis. At in publicandis diſſertationibus ſola veritas victrix & utilitas publica collegio huic ſunt eruntque curæ.

Mirabitur forte quispiam, commentationes triplici habitu, Latino, Germanico & Gallico, exire in lucem; nec diffitemur, incertos nos ipſos ab initio fuiſſe, præſtetne Latino donari omnes, cui principatum lex academica noſtra, imo resp. literaria univerſa, merito contulit. Sed Germani cum ſimus, Germani-

co

Digitized by Google

co idiomati tanto magis indulgendum eſſe exiſtimavimus, quod & popularibus noſtris, Latina non edoctis, prodeſſe cupimus. Gallicum vero ſermonem, media in Germania, Latini & Teutonici æmulum nunc eſſe, quis noſtratium ignorat.

Nec diverſa idiomata ſociaſſe dedecebit, quum volumina academica rerum & inventorum ſcitu utilium farrago eſſe ſoleant, ex qua quisque in uſum ſuum, quæ velit, expiſcetur pro lubitu. Ita Cortonenſis academia Latine & Italice ſua dedit promiſcue.

Ne oculus lædatur lectorum, eodem omnia typo vel charactere, quo nunc utimur in Latinis, impreſſa ſunt; id quod Gallorum, Anglorum & Belgarum exemplo, ubique in Germania fieri multi percupiunt, ne diverſitas characterum linguam hanc matrem, venuſtate quadam ſua venerandam, in oculis exterorum porro deformet. Suum enim alphabetum & ſcribendi modum Germani, expertes olim literarum, cum

re-

Digitized by Google

reliquis cultioris Europæ populis, mutuarunt a Latinis, a quibus vel inſcite vel libidinoſe cum receſſerint, ex errore nunc denique ſuo in viam recte revocantur.

In calce voluminis indices breviores duo comparent: alter tabularum ex ære, quæ librum hunc ornant; alter diplomatum & chartarum veterum, quæ in eo diſperſa ſunt, chronologicus. Locupletior rerum & verborum, non ſingulorum, ſed plurium ſimul voluminum, index, propitio porro, cui tum Principem, tum reliqua omnia commendamus, numine, aliquando prodibit. Ex muſeo acad. XIX Kal. Sept. MDCCLXVI.

Digitized by Google

CONSPECTUS OPERIS.

I

Hiſtoria academiae.

Auſpicia & fata collegii ab an. MDCCLXIII, *Latine* pag. 1.

Itinera literaria duo, *Latine* 19.

Jo. DAN. REISEISSENII commentatio victrix de origine comitivæ Palatinæ ſub Romanis imp. ejusque indole ſub Merovingis & Carolingis Franciæ regibus usque ad diviſionem regni &c. *Latine* 76.

Jo. HENRICI DE JUSTI diſſertatio victrix de faciliori minusque ſumtuoſa methodo ex minera cuprifera æs vel cuprum purum eliciendi, *Germanice* 113.

Digitized by Google

II.

Commentationum academicarum pars prior, hiſtorica.

CORNELII VALERII A VONCK ſylloge obſervationum criticarum & etymologicarum, *Latine* p. 151.

JO. DANIELIS SCHOEPFLINI de ara votiva Ladenburgenſi, imperatoribus & cæſaribus Rom. a Moguntiacenſi civitate ſeculo III exeunte dicata, *Latine* 183.

ANDREÆ LAMEII ad lapides quosdam Romanos, inventos ad Neccarum, *Latine* 193.

Ejusd. deſcriptio pagi Lobodunenſis ex chartis ſec. VIII & IX, *Latine* 215.

Ejusd. deſcriptio pagi Wormatienſis, *Latine* 243.

JO. DAN. SCHOEPFLINI de cæſareo Ingelheimenſi palatio, *Latine* 300.

CHRI-

Digitized by Google

Christophori Jac. Kremeri de extinctis antiquioris & mediæ ætatis Lœwenſteinii comitibus, *Germanice* pag. 322.

Ejusd. incunabula univerſitatis Heidelbergenſis, *Germanice* 373.

III.

Commentationum academicarum pars altera, phyſica.

Jo. Danielis Fladii de varia Palatinatus Rheni fertilitate, ejusque cauſis, *Germanice* 429.

Cosmi Colinii deſcriptio urbis Mannhemii phyſico-œconomica, *Gallice* 440.

Friderici Casim. Medici de incorruptis in aqua cadaveribus, *Germanice* 469.

Ejusd. Colinii deſcriptio cervi Africani ex promontorio bonæ ſpei, *Gallice* 487.

Ejusd.

Digitized by Google

Ejuſd. Medici deſcriptio cyani botanica, *Germanice* pag. 491.

Ejuſd. Colinii deſcriptio minerarum mercurii Palatinatus Rheni, *Gallice* 505.

HISTOR.

Digitized by Google

HISTORIA

ACADEMIAE

THEODORO-PALATINAE

Digitized by Google



MANSUETIORA literarum ſtudia barbaræ a quo illata ſunt Germaniæ, & ex clauſtris monachorum, quibus primum continebantur, in liberiores campos emiſſa, Palatinatus ad Rhenum, uti rebus geſtis, ita in colendis tuendisque his literis nulli Germanorum civitati aut populo fuit ſecundus. Teſtis eſt univerſitatis Heidelbergenſis fama & antiquitas, ad quam Rhenenſis alia, Sueviæ,

Franconiæ, Bavariæ, Saxoniæque ſtudiorum univerſitas profecto nulla adſcendit.

Primam centum prope annorum periodum, ante renatas typographiæ, ad Rhenum inventæ, beneficio elegantiores literas, cum infantia hominum, quæ robore caret, haud inepte compares. Subtilis magis ſcholaſticorum diſputandi methodus, quam nervus doctrinæ, doctorum in cathedris regnabat, non culpa ſua, ſed vitio ſeculi.

At infantiæ huic ſucceſſit adoleſcentia & juventus adeo præclara, ut oculos omnium in ſe converterit, & in admirationem ſui rapuerit omnes. Summos in quovis ſtudiorum genere viros tellus Palatina tunc aluit, deditque exteris. Emporium literarum Heidelbergam, armamentarium eruditi orbis bibliothecam ejus tum dixeris. In philologicis & hiſtoricis quantum eſt, quod ei debetur.

Centum & quinquaginta annos Palatinatus hæc duravit felicitas. Supervenit non ſenectus, ut rerum humanarum eſt natura & conditio, ſed neſanda clades & internecio, in ipſo ætatis virilis firmiſſimo robore.

Reſurgere quidem & nitori quodammodo ſuo reſtitui cœperant literæ, per tricennium ſepultæ, quum ferali ſævi hoſtis incendio iterum miſere extinguerentur. Difficile eſt muſas ſemel perterritas placare, bis ex fuga revocare difficillimum.

Revocarunt tamen eas, ſed afflictas & timidiores, Jo. Wilhelmus & Carolus Philippus, Principes docti & doctrinæ amantes, quorum Duſſeldorpium ille ſuum, hic Manhemium exornavit. Prior Grævianam bibliothecam & Smetianum numophylacium ex Batavis, pinacothecam inſuper nulli inferiorem ex omni ſibi Europa comparavit. Poſterior ſocietatem quandam hiſtorico-literariam, a Bennone Caſp. Hauriſio, hiſtoriarum profeſſore, Heidelbergæ inſtitutam, menſe Mart. a. 1734 auctoritate ſua confirmavit.

Pulchra

Digitized by Google

MDCCLXIII

Pulchra hæc pulchriorum longe operum præludia fuerunt. Succeſſit enim in Electoratu CAROLUS THEODORUS, dulce Palatinis nomen, muſarum delicium, qui, quæ multorum alias Principum fuerunt, magno auſu ſolus perfecit. Quicunque librorum, tabularum pictarum, naturalium & antiquarum rerum theſauros, in palatio Manheimenſi noviſſimo hoc tempore collectos atque diſpoſitos, adeunt, rudes artium atque periti, ſolo aſpectu obſtupeſcunt & ſacro quodam ſilentio ſummam Principis in literis artibusque ſervandis majeſtatem venerantur. Accerſitus ex Belgis alter Phidias, theatrum anatomicum, ſpecula aſtronomica, artiumque liberalium ſcholæ, militares ac civiles, inſtitutæ ſunt plures.

His omnibus denique faſtigium impoſitum, pacata Germania & Archipalatinatu, ferri & ignis olim præda primaria, ex alta belli civilis tempeſtate ſervato incolumi. Tum magnus Princeps quid egerit, ex ipſo, quod hanc in rem ſcriptum eſt, diplomate Electorali cupidus lector optime percipiet.

CAROLUS THEODORUS Dei gratia Comes Palatinus Rheni, ſacri Romani Imperii Architheſaurarius & Elector, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Dux, Princeps Mœrſiæ, Marchio Bergarum ad Zomam, Comes Veldentiæ, Sponhemii, Marchiæ & Ravenſpergæ, Dominus in Ravenſtein &c. &c. præſentibus atque futuris, literas has inſpecturis, ſalutem. Cum felicitatem Principatuum & ſplendorem nulla re magis quam artium liberalium & ſcientiarum cultura promoveri, priſtinumque earum florem in Palatinatu noſtro ad Rhenum funeſtis & frequentibus bellis, magno cum rei publicæ detrimento, a ſeculo ſuperiore interruptum eſſe conſtet; pace Germaniæ totique Europæ nuper reſtituta, nihil nobis antiquius fuit, quam ut literæ, ab exilio ſuo in terras noſtras revocandæ, nitori ſuo reſtituerentur antiquo; poſtquam a multis jam annis librorum, nummorum veterum & naturalium rerum theſauros inſignes Diploma Elector.

Digitized by Google

in palatio noſtro collegimus, unde multiplex eruditis viris examinandi, differendi, ſcribendique oriretur materia.

Re itaque cum peritis, fidelibus nobis ac prudentibus viris mature deliberata, præter antiquiſſimam noſtram univerſitatem Heidelbergenſem, non tam proferendis ſolidioris doctrinæ finibus, quam formandis ſtudioſæ juventutis ingeniis conſecratam, diplomate hoc noſtro ſolenni novum doctorum virorum collegium, ſcientiarum nempe & elegantiorum literarum academiam, ad leges a nobis approbatas atque ſancitas, in palatio noſtro Electorali Manhemii inſtituimus, ſtabilimus, ſtipendiis & privilegiis liberaliter munimus, bibliothecam noſtram, antiquarium, numophylacium, chartularia, pinacothecas, omnisque hiſtoriæ apparatum eidem academiæ aperientes, ut præſidiis & auſpiciis noſtris univerſam præſertim Palatinatus omnis ævi hiſtoriam, Principum in eo regnantium origines, progreſſus & fata, quin etiam varia liberalis naturæ per provincias noſtras dona, ad omnem poſteritatis memoriam ſcrutari, eruere, illuſtrare, perſcribere, & cum orbe literato communicare queat.

Ad plenam voluntatis noſtræ fidem & auctoritatem perpetuam literas has noſtras propria manu ſignavimus, eique ſigillum noſtrum Electorale appendi juſſimus. Datum Manhemii die decima quinta menſis octobris anni M DCC LXIII.

CAROLUS THEODORUS ELECTOR.

Leges

En leges, quarum diploma hoc mentionem facit, breves & paucas, quales decent viros eruditos literis, veritatis & ſapientiæ amantes. Moles legum ruentis, paucitas integræ reip. indicium habetur.

A*CADEMIA Electoralis Theodoro-Palatina de rerum geſtarum atque naturalium, Palatinatus præcipue domusque in eo regnantis, hiſtoria, artibusque eo ſpectantibus, ſolicita; in omnibus veritas ſuprema lex eſto.*

Aca-

Digitized by Google

Academici univerſi doctrina, ſtudiis, moribus ſuis commendabiles, & a partium ſtudio alieni ſunto. Quæ privatim tractantur, ne propalanto.

In duas illi claſſes, hiſtoricam & phyſicam, diviſi ſunto. Altera alteram in rebus ad alterutram ſolam ſpectantibus ne turbato.

Legum ac dignitatis cuſtodes præſes atque director, dein ſecretarius actorum perpetuus & quæſtor ærarii ſunto. Secretario vicarius adjungitor. Præter hos numerus academicorum ne denarium excedito.

Novi ſocii electio penes academiam, confirmatio penes Principem eſto. Secularis vel eccleſiaſtico-ſecularis, non alius, eligitor.

Præſes & director a laboribus conſuetis immunes, reliqui academici in legundis audiundisque commentationibus aſſidui ſunto. Quicquid ſcripſerint egerintve, placido ſociorum examini & judicio repetita lectione ſubjiciunto. Digna & ſuo & academiæ nomine ſinguli commentantor.

Præſentium in conventibus præmium nummus argenteus in uſum hunc cuſus eſto.

Lingua in ſcribendis commentariis ac diſſertationibus princeps Latina, Germanica & Gallica ſubſidiariæ ſunto.

In rebus, quæ vel ab univerſo conventu vel a ſingulis claſſibus decidi poſſunt ac debent, plurium ſuffragiorum habetor ratio. Sententiæ ſcripta aut viua voce, prout aptius viſum fuerit, explorantor. Præſes eas rogato pronuntiatoque; ſecretarius actis inſcribito.

Academiæ apud exteros, horumque apud academiam interpres ſecretarius eſto. Commentarios & quidquid academia probaverit juſſeritque, idem in lucem publicam edito. Tabulas, privilegia, literas, diſſertationes prælectas & ſigillum ſervato. Academicorum fatis functorum elogia ſcribito.

Conventus æſtivi in bibliotheca Electorali, hiemales in vicino conclavi ſingulis diebus Jovis ab hora tertia pomeridiana ad quintam habentor. Bis quotannis feriæ ſex hebdomadum ſunto, vernales & autumnales.

Digitized by Google

MDCCLXIII.

Primus poſt utraſque ferias conventus publicus atque ſolennis eſto. In vernali ſociorum defunctorum elogia leguntor. In autumnali præmium numiſmatis aurei quinquaginta ducatorum meliori, quæ aliunde ad propoſitam quæſtionem academicam miſſa fuerit, commentationi rite examinatæ tribuitor; novumque alternis claſſium vicibus problema in annum ſequentem publicator.

Certantes de præmio ante calendas quinct. opuſcula ſua ſecretario reddi curanto. Nomen in ſchedula obſignata adjiciunto. Si nullus palmam meruiſſe videbitur, præmium in ſequentem annum ſervator. Academici judices præmii, non participes ſunto.

Proximo inde conventu privato acceptorum & expenſorum rationes annuas quæſtor reddito.

Dat. Manhemii die XV menſis octobris anni M DCC LXIII.

CAROLUS THEODORUS ELECTOR.

In hiſtoricis itaque nova hæc academia maxime verſatur. Hiſtorica cognitio omnium ſcientiarum prima eſt ac fundamentum omnium; cum omnis veritas aut ſenſibus percipiatur aut ratione, rationem autem præcedant ſenſus, ſine quibus nullæ artes & notiones rerum nullæ. At quidquid in ſenſus cadit, vel noſtros vel alienos, id omne hiſtoria ſibi vindicat; unde ampliſſimus per totam rerum naturam, per tot ſecula, per univerſum terrarum orbem doctrinæ hiſtoricæ campus. Ex hiſtorica hac cognitione altera demum exoritur, rationalis, quæ a ſingularibus ad univerſalia adſcendit, quamque philoſophicam vocant, fatente hoc ipſo philoſophorum principe, (*a*) qui philoſophiam fere omnem ab oculis repetit, adeoque a ſenſu. Philoſophia quidem, qua Deum & animas ſpectat, theologia; qua juſtum & æquum, juriſprudentia; qua morbos pellere docet, medicina appellatur; in quibus vero omnibus regnat hiſtoria, phi-

(*a*) *Plato in Timæo*, Opp. T. III, pag. 47.

Digitized by Google

philoſophiæ metropolis, lux veritatis & magiſtra vitæ, ex Ciceronis (*b*) ſententia.

Ob præſtantem hunc hiſtoriæ, cum civilis tum naturalis, uſum certatim quaſi per univerſas Europæ partes inſtitutæ ſunt academiæ, quæ in explorandis & deſcribendis vel veterum monumentis & factis, vel admirandis naturæ in triplici ſuo regno operibus plurimum deſudant.

Notiſſima eſt Germanica illa naturæ curioſorum ſocietas, quæ brevi poſt Londinenſem & Pariſienſem anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo condita hodieque floret. Proxima ei in Germania ſucceſſit Berolinenſis, paucis ante regnum Boruſſiæ menſibus nata, quæ vero, præter hiſtoriam, diſciplinas & artes liberales reliquas omnes complectitur. Noſtra memoria ſurrexit Gœttingenſis, phyſicam, mathematicam & hiſtoricam claſſes continens. Duas claſſes, hiſtoricam & philoſophicam, noviſſima admiſit Boica, germana & amiciſſima Theodoro-Palatinæ ſoror. Palatina hæc, in hiſtoricis plurimum ad publica & privata commoda inveſtigandum ſupereſſe memor, philoſophiam moribus magis ſuis, quam ſcriptis, exprimere diſcet.

Conſtituendæ igitur academiæ huic Theodoro-Palatinæ ſelecti ſunt viri ſequentes: Socii

Præſes

Leopoldus Maximilianus Baro de Hohenhausen, Principis camerarius, in re militari conſiliarius int. & referendarius, cohortis prætoriæ tribunus &c.

Præſes honorarius

Jo. Daniel Schoepflinus, conſil. & hiſtoriographus Franciæ, hiſt. & eloq. prof. Argent. &c.

Di-

(*b*) *De Oratore* Lib. II, cap. 9.

Digitized by Google

Director

GEORGIUS DE STENGEL, a conſiliis ſanctior. Principis & epiſt. ſecret. &c.

Secretarius perpetuus

ANDREAS LAMEY, Alſata-Monaſter. bibliothecarius Palat.

Socii reliqui

FRANC. JOSEPHUS AB OBERKAMP, med. d. & prof. Heidelberg. conſiliar. int. & auguſtæ Electricis archiater.

FRANC. LEODEGARIUS à SAILERN, conſiliar. int. & archiater.

CORN. VALERIUS à VONCK, Noviomagenſis, conſiliar. int. & hiſtoriographus Juliaco-Bergenſis.

GEORG. JOSEPHUS WEDEKIND, conſiliar. regim. juris nat. & gentium prof. Heidelb.

NICOLAUS MAILLOT DE LA TREILLE, Virodunenſis, conſiliar. eccleſ. & bibliothecarius.

PHIL. WILHELMUS FLAD, conſiliar. eccleſ. Reform. Heidelberg.

COSMUS COLINI, Florentinus, ſecretarius int. hiſtoriographus Palat. & muſei rerum nat. director.

CHRISTOPH. JACOBUS KREMER, Wormatienſis, conſiliar. judicii matrimon. & hiſtoriographus Palat.

LUDOVICUS HARSCHER, conſiliarius adminiſtrat. eccleſ. & academiæ quæſtor.

JO. DANIEL FLAD, conſiliar. & archivarius adminiſtrat. eccleſ. Heidelberg.

WINANDUS PETRUS KELLING, ſecretario perp. adjunctus.

Præ-

Digitized by Google

Præparatis ita omnibus, nova hæc academia XII cal. nov. tertia a meridie hora, ſpectante & applaudente maxima procerum atque civium corona, in bibliotheca aulica aperta eſt. Sereniſſimi Electoris nomine, quem modeſtia ſua publice adeſſe prohibuit, legatus aderat celſiſſ. S. R. J. princeps, Carolus dux de Gallean, quo ſummum menſæ locum in ſella quaſi curuli occupante, præſes honorarius Latina oratione, quæ ſequitur, conſeſſum hunc inauguralem auſpicatus eſt.

„ Novus Palatinus Helicon, ad Nicri confluentes & Rheni, Oratio
„ magnis ſub auſpiciis exſurgens, feſtiva ceremonia ſolenni hoc inaug.
„ inaugurandus eſt die, ſereniſſimi archiprincipis Palatini legate, Romani imperii princeps, ceterique omnium ordinum & dignitatum auditores, ſuis quisque condecorati elogiis. Viſum eſt Carolo Theodoro, Electori auguſto, literarum & artium magno ſtatori, Neccaranis in Odonianæ ſilvæ aditu muſis aliæ ſorores ut jungantur ad Rhenum. Viſum eſt ei, ad Cæſaris Auguſti imperatoris exemplum, in ipſo auguſtali palatio ſuo novus ille, familiaris ſibi, ut reſideat Apollo; duplici ratione ut Palatinus dicatur. Viſum eſt ei, inſtituta hæc literatorum ſodalitas ut Academiæ Electoralis Palatinæ inſigniatur elogio. Patieris, modeſtiſſime Principum, ut univerſus literatus orbis, veneratione tui nominis plenus, *Academiam Theodoro-palatinam* appellet.

„ Quod itaque ſummus ille omnium orbium arbiter fauſtum & felix eſſe jubeat; Octobris vigeſimus hujus anni dies fortunatus ille aureusque dies eſt, quo Electoralis Theodoro-palatina ſcientiarum & elegantiorum literarum academia in annalibus mundi ſuos figit natales; quo Phœbus Palatino-rhenanus novum ſeculum condit, conditique memoriam renovabit quotannis, renovabit æternum.

Digitized by Google

MDCCLXIII.

„ Immortale hoc Principis immortalis eſt opus, auditores;
„ magnanimi Principis, ad artes promovendas ſingulari fatorum
„ beneficio nati; quem non ambitioſa quædam laudis gloriæque
„ cupido, ſed ardens ille doctrinæ & ſcientiarum omnium amor,
„ quo cœleſte ejus inflammatum eſt pectus, ad conſilium hoc ſuſci-
„ piendum induxit.

„ Primam muſis Palatinis & Germanicis ſedem Rupertus I.
„ Elector cum fratre Rudolpho Heidelbergæ, quæ regia tum Pa-
„ latinatus, conſtituit. Carolus Theodorus quadringentos poſt annos
„ Mannhemii, in nova ſua regia, condit ſecundam. Illa divinarum
„ & humanarum litterarum celebris magiſtra & longæva mater
„ evaſit. Hæc hiſtoriæ & Palatinarum omnis ævi rerum doctrinam
„ præſertim, hæc admiranda naturæ ex viſceribus Palatinæ terræ
„ eruet, populisque Europæ contemplanda proponet; munifici
„ conditoris ſui nunquam non memor.

„ Muſæ, ſub Heidelbergica principum Electorum periodo in
„ his tractibus natæ; ſub Simmerenſi in florida conſtitutæ juven-
„ ta; ſub Neoburgica bellicis proſtratæ furoribus; ſub Sulzbacenſi
„ periodo priſtinum gloriæ & dignitatis recuperabunt ſplendorem,
„ & ſublime caput ſuum præ multis extollent. Illa Palatinis,
„ totique pieridum choro tam cara Freheri, Gruteri, Parei,
„ Freinshemii, Spanhemiorum, Rusdorfii, Hachenbergii, Be-
„ geri, Tolneri, Hartſœckeri nomina, in amœna hac nympha-
„ rum & gratiarum ſede, aliis ſub nominibus, feliciſſimo ſub ſidere
„ paulatim reſurgent. Palatinarum muſarum novi ſeculi primor-
„ dia dies, quem aſpicimus, figit. Veſtrum eſt, academici viri,
„ quos Principis ſapientis judicium ad ornandum hoc novum
„ Mannheimenſe lyceum ſelegit, ſcriptis & laboribus doctis vo-
„ ta ejus complere. Veſtrorum ego laborum futurus ſum fidus
„ comes & ſocius.

Poſt legatus Elect. gallico ſermone academiam honorificentis-
me allocutus eſt. Diploma Stengelius director, leges, quas
cum

Digitized by Google

cum diplomate ſupra dedimus, ſecretarius clara prælegerunt voce. Vonckius, præmiſſis paucis, *meditationem politico-hiſtoricam de felici integritatis ac prudentiæ in hiſtoria temperamento*, quæ conſcia & annuente academia cum elegantiſſima ad illam carmine ab Abrah. Perrenoto, V. C. Ultrajecti anno ſequenti typis expreſſa eſt, Hohenhuſio præſidi in manus tradidit. Legere deinceps collegæ tres, Maillotus, Kremerus atque Colinius, Gallico & Germanico idiomate, diſſertationes, ex hiſtoria literaria, civili & naturali petitas. Idem denique Colinius eleganti ad auditores gratiarum actione univerſos dimiſit.

Nummi hac occaſione cuſi ſunt duo, alter major, memoriam inſtitutæ academiæ ſervaturus; alter minor, in ſingulis, ut lex habet, conventibus dandus ſociis præſentibus præmio. Uterque adverſa facie venerandum auguſti conditoris caput & nomen exhibet. In averſa major nummus Phœbum, artium inventorem, ad Rheni & Neccari confluentes ex alto deſcendentem, monſtrat, epigraphe: PHOEBI RHENI NECCARI CONJUNCTIO FELIX. In ſegmento: ACADEMIA SCIENTIARUM THEODORO PALATINA INAUGURATA XX. OCT. M D CC L XIII. Minoris monetæ averſa facies Janum bicipitem, artis & naturæ opera ſpectantem, intuentibus offert, ut duplex hiſtoria, quæ duas academicorum claſſes delectat, civilis & naturalis, indicaretur. Idem epigraphe docet RIMATUR UTRIMQUE, & in ſegmento: ACADEMIA SCIENTIARUM ELECT. THEODORO PALATINA. Repræſentavimus utrumque nummum in fronte hujus voluminis atque hiſtoriæ. Nummi.

Sigillo acad. majori & minori, inſculptus eſt leo Palatinus, noctuam, Minervæ ſymbolum, in ſcuto tenens. Ad pedes leonis libelli incondite projecti jacent. Inſcriptio hæc eſt: SIGILLUM ACADEMIÆ ELECT. THEODORO PALATINÆ, & in ſegmento: INSTITUTÆ MENSE OCT. MDCCLXIII.

Digitized by Google

An. MDCCLXIV.

Conventus publici.

DUO ex legibus conventus publici hoc anno celebrati ſunt, vernalis VI. cal. Maji & autumnalis VIII. cal. Nov. Quid in ſingulis actum, exponemus nunc paucis.

Vernalis.

In vernali recitatum Franc. Leodegarii Saileri, ſodalis prius defuncti, quam ſuum in academia locum occupare potuiſſet, elogium. Erat Sangallenſis, ex antiqua gente (c) menſe Apr. an. 1700 natus, Schœnbornii card. & epiſcopi Spirenſis primum, dein fratris ejus, archiepiſcopi Trevirenſis, denique ſereniſſ. Caroli Theodori, quem boni omnes diutiſſime vivere percupiunt, archiater digniſſimus, vir non minus doctus, quam gravis & prudens. Electus in ejus locum eſt Jo. DANIEL NEBEL, Heidelbergenſis, medicinæ doctor; & in eodem inſuper conventu ſocius ordinarius publice receptus eſt FRID. CASIMIRUS MEDICUS, Rhingravio-Grumbacenſis, conſiliar. & medicus aulicus Bipont. & præſidii Mannhem. phyſicus, variis academiis exteris adſcriptus.

Numerum ſociorum, lege ſtabilitum, academiam exceſſiſſe ne quis credat, monendus eſt lector, præſidem honorarium, jura quidem, ſed non locum, ordinarii collegæ retinuiſſe.

Autumnalis.

Conventum autumnalem more ſuo aperuit præſes honorarius. Orationem ejus legendam heic eo magis offerimus, quod quæ in conventu hoc peracta ſunt, facunde docet.

„ANNUAM nativitatis ſuæ periodum primam Palatina felix „ transegit academia, auditores omnium ordinum dignitate „ meritisque venerandi. Tertius actus eſt, quo illa in ſacrata „ hoc Muſarum & Apollinis ſede, in ſplendida & numeroſa „ pro-

(c) Quam pluribus deſcribit *Jac. Leu* in *Lexic. Helvet.* voce *Sailern.*

Digitized by Google

„ procerum civiumque concione, animis & auribus erecta, com-
„ paret. Comparet ſalvo & ſoſpite magno ſtatore, quem ſingu-
„ laris nuper providentia cœli terris ſuis orbique literato tam be-
„ nigne ſervavit. Utinam perpetuum ac immortalem ſervaret!

„ Academia actu primo inaugurata, elucidatæ civilis & na-
„ turalis Palatinatus hiſtoriæ ſpecimina vobis repreſentavit ſe-
„ cundo. Hodierna panegyri ea vobis declarabit, quid ejus præ-
„ ſcripto in enodandis Palatinis rebus vicinarum & remotarum
„ regionum præſtiterint exteri. Stimulat mortalium animos vir-
„ tutis æmulatio; excitant præmia; trahit gloriæ cupido.
„ Proſpexit hæc ſublimi ſua mente magnanimus academiæ
„ ſator, omnibusque Europæ literatis quotannis propoſuit præ-
„ mium; illis nempe, qui difficilem Palatinatus vel politicæ vel
„ naturalis hiſtoriæ ſoluturi ſunt nodum.

„ Athletæ quindecim ex variis Germaniæ & Galliæ partibus
„ Comitum Palatinorum origines & ſtatum apud Romanos &
„ Francos, primaque eorum ſub Merovingis & Carolingis doma-
„ nia hoc anno inveſtigarunt, omnes de præmio reportando ſol-
„ liciti. Commentationes eorum academia judex critico & ſevero
„ ſubjecit examini, easque in tres omnino claſſes diſtribuit.
„ Primæ claſſis commentatores quæſtionibus propoſitis nullo
„ modo ſatisfecerunt; extra oleas vagati & in alia omnia dilapſi.
„ Ad ſecundam claſſem referimus illos, qui ſtadium ingreſſi
„ per illud quidem diligenter decurrerunt, argumentum tamen
„ nec ſatis copioſe, nec ſatis docte tractarunt. Tertiæ, quæ
„ prærogativa claſſis eſt, diatribas aſſignavimus duas; quæ ni-
„ mirum reputatæ ſunt dignæ, ut in publica literatorum luce
„ ſuo tempore compareant. Judices cum hærerent in bivio, cui-
„ nam ex diſſertationibus æmulis addicerent præmium, munifi-
„ cus interveniens Princeps, ex machina Deus, remuneratur
„ utramque.

Digitized by Google

MDCCLXIV.

„ Ita ex agoniſtico certamine bini æquo marte victores prodi-
„ bunt athletæ, in illuſtri hac procerum & ſpectatorum coronan-
„ di corona; olympionicæ proclamandi ſine faſtu & pompa; ſed
„ huc uſque incogniti & ex ſchedulis aperiendis mox cognoſcen-
„ di; licet forte abſentes. Reliquas clauſas mox deſtruet ignis.

„ His omnibus de rebus plura vos edocturus eſt academiæ
„ orator, qui & ea vobis patefaciet, quæ augendo hujus colle-
„ gii decori ſuperioribus ſtatutis ſuperaddere decrevit conditor
„ auguſtus, ſaluti & gloriæ ejus ſemper invigilans.

Præmium.

Quæſtio academica, præmio quinquaginta ducatorum anno ſuperiore propoſita, hæc fuit: *Quanam origo comitum Palat. ſub Rom. imperatoribus; indoles ſub Merovingis & Carolingis Franciæ regibus usque ad diviſionem regni in orientale & occidentale. Quando comitivæ Palatinæ terra ſalica coeperit annecti.*

Diſſertationes quindecim, de præmio certantes, ſecundum tres, in quas commode dividebantur, claſſes ſecretarius recenſuit, & quid de ſingulis academia ſentiat, paucis edixit. Inhæſit paulo diutius binis commentationibus, quæ cum ſuis ſingulæ radiis fulgerent, utraque præmio judicata eſt digna. Apertis a præſide ſchedulis, inventa ſunt hæc auctorum nomina:

Jo. DANIEL REISEISSEN, Argentinenſis, J. V. Lic.

HENRICUS SCHÜTZ, S. J. hiſtor. prof. p. o. Ingolſtadienſis.

Numisma aureum, quod præmio datur, una parte CAROLI THEODORI imagine coruſcat, altera DOCTRINÆ VICTRICI in corona laurea inſcriptum eſt, cum verbis: ACADEMIA ELECT. SCIENT. THEODORO-PALATINA in ſegmento.

Lex nova.

Placuerat tum temporis, ſplendidiorem regiarum apud exteros academiarum noſtra ut formam indueret, duabus illam ſociorum claſſibus augeri munirique; quam in rem condita eſt lex nova, his verbis:

Promo-

MDCCLXV.

Promovendis academiæ honoribus & incrementis ſocii quidam tum honorarii tum extraordinarii adſciſcuntor.

Honorarii vel generis ſui vel munerum, quibus funguntur, ſplendore, vel nominis in rep. literaria amplitudine, ſuoque in muſas Palatinas favore conſpicui; Extraordinarii ad muſas has manu & opera ſua amice juvandas proni atque idonei ſunto. Neutris conventus academicos adire fas eſto, niſi per collegii indulgentiam ſingularem. Decretum in ſede noſtra Electorali Manhemii d. XXII. Octobr. M DCC LXIV.

CAROLUS THEODORUS ELECTOR.

Legis hujus beneficio academia utens, ſocios honorarios quatuor in collegium ſuum cooptavit, muſis Palatinis amicos pridem & primatu quodam ſuo illuſtres: Socii honorarii.

Carolum Hyacinthum Ant. ducem Galleani, S. R. J. principem, comitem palatii cæſ. majorem, ſummum aulæ Elect. præfectum &c.

Josephum Garampium comitem, eccleſiæ S. Petri Romæ canonicum & archivi Vaticani cuſtodem primarium &c.

Othonem Frid. comitem de Lynden, nobilium Gelriæ nomine delegatis ejusdem provinciæ ordinibus adſcriptum &c.

Franciscum Arouet de Voltaire, regis Galliarum a cubiculo &c.

Academia, auctoris ſui & beneficiorum ejus memor, pio conſilio diem Carolinum, qui Carolo Theodoro ſacer, feſtiva quotannis oratione celebrare decrevit, primumque votorum ſuorum interpretem conſtituit Colinium, cujus oratio typis nuper edita eſt. Oratio feſtiva

An

Digitized by Google

An. MDCCLXV.

Quæſtiones & præmia duo.

OPUS auſpicato inceptum bonis quoque avibus hoc continuatum eſt anno. Quæſtiones præmiis expoſitæ fuerant duæ, altera chymico - metallurgica, altera Palatino - geographica. Prior ex lege, quæ alternas claſſium, hiſtoricæ atque phyſicæ, in problematibus publicandis vices imperat. Poſterior juſſu munificentiſſimi in literas Principis, qui utramque academiæ diſciplinam ſimul æque juvari cupiens, præmio academico alterum ex ſuo, imo minora quæſtionibus œconomicis duo, ut alibi dicetur, liberaliſſime addidit.

Primum itaque *de faciliori minusque ſumtuoſa methodo ex minera cuprifera æs vel cuprum purum eliciendi*, *quærebatur*, *experimentis quæ eſſet comprobata.* Vicit in hac quæſtione Jo. Heinricus de Grechtſon, Saxo, quod ſchedula reſignata inventum eſt nomen; ſub quo, ut deinceps compertum eſt, latere voluit Jo. Henricus Justi, regis Boruſsiæ metallifodinis univerſis præfectus, vir multifaria eruditione celebris.

Hiſtorica quæſtio hæc erat: *Quinam ante Romanos*, *rerum in Gallia potitos*, *& ſub Romanis populi terras occuparint cis & trans Rhenum*, *quæ Electoratum Palatinum hodie conſtituunt.* Victor pronuntiatus eſt Jo. Otto Cullmann, Germersheimenſis, J. V. Lic.

Lex nova.

In eodem conventu publico autumnali, d. XVII. Octobris celebrato, legum academicarum ſupplementum alterum a ſecretario prælectum eſt, his verbis:

In conventibus academicis, *publicis atque privatis*, *ſedendi ordo ſervator ex tempore*, *quo quisque ſocius cujusvis claſſis*, *ad præſidium directoriumve non pertinens*, *electus fuerit*, *nec alius cujuscunque dignitatis prærogativæ hac in re ulla habetor ratio. Dat. Manhemii d. XV. Oct. M DCC LXV.*

CAROLUS THEODORUS ELECTOR.

Tum

Digitized by Google

Tum inſuper publicata eſt electio & confirmatio ſocii honorarii unius & extraordinariorum undecim. Honorarii quidem illuſtriſſ. comitis, CAROLI FRIDERICI DE WARTENSLEBEN, cæſareæ maj. camerarii, ordinumque Belgii fœderati ad electores & circulos Rheni atque Weſtphaliæ legati extraordinarii, qui ut generis nobilitate & ſplendore munerum, ita rei noſtræ literariæ juvandæ ſtudio multum excellit.

Extraordinariorum vero claſſem nunc primum conſtitui placuit viris præſtantis ingenii atque doctrinæ, qui vel iisdem nobiscum ſtudiis conjuncti, vel promovendis iis quam maxime proni ſunt atque idonei:

JOSEPHUS DE RITTER, Baro, ſereniſſ. Electoris Palat. conſiliarius intimus & in aula cæſarea miniſter, ut vocant, plenipotentiarius.

FRIDERICUS CAROLUS CASIMIRUS DE CREUTZ, Baro, Landgravii Haſſo-Homburgici conſiliarius intimus & regiminis ejus præſes.

CHRISTIANUS FRIDERICUS PFEFFEL, ducis Palatino-Bipontini nomine reſidens Monaci & claſſis hiſt. in academia Boica director.

STEPHANUS ALEXANDER WÜRDTWEIN, Electoris Mogunt. conſiliarius eccleſ. & eccleſiæ collegiatæ ad gradus b. M. V. decanus.

JACOBUS CHRISTIANUS SCHÆFFER. theol. & philoſ. doctor, regis Daniæ conſiliarius, prof. honor. & paſtor Ratisbonenſis.

JOANNES DANIEL DE OLENSCHLAGER, reip. Francofurtanæ ſcabinus & electoralis Saxoniæ conſiliarius.

JOANNES MARTINUS KREMER, conſiliarius Rhingravicus Greviler æ.

C JACO-

Digitized by Google

MDCCLXV.

JACOBUS REINBOLDUS SPIELMANN, medicinæ doctor & profeſſor p. o. Argentorati.

GEORGIUS CHRISTIANUS CROLLIUS, ducis Bipont. bibliothecarius & gymnaſii prof.

JOSEPHUS GOTTLIEB KOELREUTER, med. d. marchionis Bada-Durl. conſiliarius & hiſt. nat. profeſſor Carolsruhæ.

FRIDERICUS EXTER, gymnaſii illuſtris Bipontini profeſſor.

Hortus botanicus.

Herbis, quas Palatinatus ad Rhenum ſponte ſua profert, earumque indole & uſu penitius cognoſcendis, ad urbem hanc, ubi ſolem orientem adſpicit, hortum inſtitui juſſit Princeps, & curam ejus ex academicorum ordine commendavit Frid. Caſimiro Medico.

Typographia academica.

Sed & inter majora Principis Electoris beneficia, hoc anno accepta, commemorandum omnino eſt jus typographicum, ut academia cum ſua, tum alia ſcripta & opuscula formis ſuis excudat. Acceſſit mox privilegium calendarii œconomici, quo vulgus a puerilibus & ſuperſtitioſis, quibus decipi ſolet, avocaretur ad certa recensque inventa vitæ communis aut porro inveſtiganda commoda.

Aqua ſuffocatos ſervandi cura.

Neque prætereundum ſilentio, collegam quendam noſtrum, ut humanitatis, ita modeſtiæ quoque laude inſignem, praemium triginta ducatorum promiſiſſe ei, qui remedio, alibi invento, uſurus homini aqua ſuffocato in Palatinatu ſpiritum reddiderit primum. Libelli, remedium illud docentis, exempla rogante academia per omnes Electoratus hujus partes diſtributa ſunt plura, nec caruit ſucceſſu conatus, ſervato mox in Neapoli Palatina infante quadrimulo a morte, quam aqua forte merſus oppetiiſſe omnibus videbatur. Meruit praemium Samuel Jacobus Jooſten, medi-

Digitized by Google

medicinae doctor, eodem in oppido practicus. Succeſſit mox experimentum alterum Ladenburgi, ubi Hohbachii fratres, pharmacopola & chirurgus, eadem methodo uſi, infantem biennem, aqua prorſus ſuffocatum, revocarunt ad vitam. Et operam hanc bene praeſtitam dono inſigni remuneravit munificentiſſimus Princeps.

Oratio feſtiva hoc anno ſecunda ſenatus academici juſſu d. VII Nov. dicta eſt a ſecretario perpetuo, qui *Principem de Principatu, Principatum de Principe lætum* ſermone latino praedicavit. Orationem hanc cum ſuperiore typis quoque excudi juſſit ſenatus academicus. Oratio feſtiva

---

SUNT ex legibus feriae academicae ſex hebdomadum, vernales & autumnales, otia commoda itineribus, quibus ſtudia hiſtorica praeclare juvantur. Cum ergo in ſuis & finitimis terris varia medii & antiquioris aevi monumenta ſupereſſe intellexiſſet princeps, colligendis iis & ab interitu vindicandis, cum pictore proficiſci juſſit binos academiae ſocios, Kremerum atque ſecretarium. Primum iter feriis autumnalibus A. 1764 ſuſceptum, idque per Wormatiam, Alcejam, Odernhemium, Moguntiam directum eſt Ingelhemium, regio Caroli M. palatio, quod vel maxime perluſtrandum erat, celebre. Ingelhemio per Crucenacum, Rockenhuſium, Wolffsteinium, Otterbergam & Lutram miſſi poſt XX profectionis dies redierunt ad lares. Ubique vel chartæ vel lapides exſcripti, & ex his depicti ſunt plures. Itinera liter.

Prima itaque mora fuit Wormatiæ, ad lapides quosdam ſepulcrales Rom. quos a claſſicis inſcriptionum Rom. editoribus, Grutero, Reineſio, Sponio, Muratorio fruſtra requiras. Lapidum quidem iſtorum inſcriptiones anonymus fatorum urbis hujus ſcriptor an. 1690, (*d*) poſt- Wormatia.

(*d*) Vorſtellung der Statt Wormbs anfang, fortgang und untergang, ad pag. 3.

MDCCLXV.

poſteaque lapides integros, æri inciſos, doctus Wormat. & Fuldenſis eccleſiarum hiſtoriographus, Jo. Frid. Schannatus (*e*), publicarunt, ſed uterque vitioſe.

Ad portam S. Martini ſunt quatuor ſaxa, imaginibus & literis Romanis conſpicua. Pulcherrimum equitem ſiſtit armatum, ſigniferum & in hoſtes proſtratos, Germanos ſcilicet, furentem. Deletæ ſunt magnam partem inſcriptionis, linea præſertim ſecunda & tertia, literæ; ut mirum non ſit, vel male vel imperfecte deſcriptas ab aliis fuiſſe.. Superſunt tamen deleti veſtigia, ex quibus ſollicite collectis veriſſima hæc prodit epigraphe:

Q. CARMINIO IN
GENVO EQVITI ALA
HISPANORVM. . . . .
S TIP. XXV. SIGNIFERO
SACER IVLIVS H. E. T.

Unicus tantum annorum, quos eques hic, quadragenarius haud dubie, vixerit, numerus, linea tertia reſtitui nequit.

Fuit ergo *Quintus Carminius Ingenuus eques alæ Hiſpanorum & ſignifer*. Signi figuram manu ſiniſtra tenet, qualem nos alibi non invenimus. Signorum ingens diverſis temporibus & nationibus fuit diverſitas. Pendent ex haſtæ ſummitate in ligno transverſo quatuor flammulæ. Meruit eques *ſtipendia* XXV. Monumentum poſuit SACER JULIUS Heres Ex Teſtamento. Prænomen omiſſum & gentilitium nomen *Julius*, turbato veterum Romanorum more, cognomini *Sacer* poſtpoſitum, lapidem non integro aut florente, ſed corrupto jam & inclinato per principes imperio Rom. poſitum indicant. Literas finales tres Schannatus in HELT, anonymus Wormat. H. E. F. corruperunt.

Jux-

(*e*) In *hiſt. epiſc. Wormat.* part. I, cap. I.

Juxta monumentum hoc erectum eſt aliud ejusdem alæ equitis, Helvetii, non Romani, patria aut civitate, qualis Carminius fuit. Infra equitis, hoſtem quoque proterentis, imaginem literæ extant ſequentes:

LICINVS CLOSSI
F. HELVETIVS ANN.
XLVII. EQVES ALA
HISP. STIP. XXVI. Hs.
TIB. JVL. CAPITO H.

Licinus Cloſſii filius Helvetius annorum quadraginta & ſeptem, eques alæ Hiſpanorum, ſtipendiorum viginti & ſex, hic ſitus eſt. *Tiberius Julius Capito Heres* poſuit.

Ala Hiſp. cui Helvetius hic adſcriptus fuit, ſolis Hiſpanis ab initio conſtans, ex variis deinceps nationibus ſuppleta eſt, quemadmodum Helvetiorum, peregrina ſtipendia merentium, cohortes hodieque ſupplentur. Helvetiam veteris Galliæ partem fuiſſe, quis ignorat? Sunt ergo *Licin & Cloſſ* Celtica nomina, quibus a Latinis Latina terminatio addita. Fuit enim *Heres*, qui poſuit, civis Romanus, triplici nomine, togatæ quod genti proprium, inſignis.

Contra binos hos lapides bini ſunt alii, equitis atque peditis. Equitis epigraphe hæc eſt:

ARGIOTALVS
SMERTVLITANI
F. NAMNIS EQV.
ALA INDIANA
STIP. X. ANNO.
XXX. H. S. E.
EREDES POSVE
RVNT.

 Habe-

Digitized by Google

Habemus & hic nomina duo Gallica. Nam *Argiotalus*, *Smertulitani filius*, Gallus natione fuit, ſiquidem *Namnis*, id eſt, ex Namnetibus ſive Nannetibus *(Nantes)* ortus. Meruit *eques in ala Indiana ſtipendia decem*, vixitque *annos triginta.* Schannatus quartam lineam corrupit in AIANDIANA. Argiotali *Eredes* ſive Heredes noluerunt dignoſci. En monumentum ſepulcrale peditis auxiliaris, non legionarii:

VEIAGENVS
SISGI F. MIL
ES EX COH
ORTE RAETO
AN. XLVI. STIP.
. . . .
. . . .

Perierunt duæ vel tres lineæ extremæ, lapide adeo detrito, ut tantum non omnis jam diſparuerit epigraphe, peritura brevi. Schannatus VMVSM, anonymus Wormatienſis

XXIV. NATVS M
ON ET
H. S. E.

ſuperioribus addunt. Poſterior ſi recte vidit, *Vejagenus* fuit *Sisgi filius miles ex cohorte Rætorum annorum XLVI. ſtipendiorum XXIV natus Monetii.* Monetium Japydum oppidum, qui Liburnis proximi habitabant, Illyrici pars, Strabo commemorat. At patriam in fine poſt honores & ætatem ponere Romanis inſuetum, qui, quod in Licino & Argiotalo factum, gentilitio illam nomini jungere maluerunt. Ceterum copias Romanorum auxiliares, ex ſubditis reip. vel imperii, non civibus, conſcriptas,

in

Digitized by Google

in cohortes, non in legiones, quæ civium erant, diviſas fuiſſe conſtat. Ejusdem *Coh. Raitorum* miles, Attio Lani filius Montanus, annorum XLV. ſtipendiorum XIX. Moguntiæ ſepultus jacet (*f*).

Paucis a porta S. Martini paſſibus, ad foſſæ exterioris murum, exeuntibus ad dextram, lapidis quoque Rom. fragmentum ſupereſt:

M. SEMPRONI

VS L. F. DOMO

Deeſt nomen patriæ, cognomen & reliqua. Patria enim frequenter, uti tribus, ante cognomen exprimebatur, præpoſita voce DOMO. Gens Sempronia multis celebratur marmoribus. In Schannati exemplo litera L, *Lucium*, *Marci Sempronii* patrem, deſignans, linea ſecunda exulat.

Præterea in veteris curiæ Wormat. area duo ſarcophagi ſervantur lapidei, cum operculis ſuis haud ineleganter exciſis. Alteri inſcriptum:

D. M.

SPECTATIÆ PEREGRINE

SERVANDIVS SOLLEMNIS ET

SERVANDIA SERVANDA FILI EII

VS FACIVNDVM CVRAVERVNT.

Maritus hujus *Spectatiæ Peregrine* fuit Servandius quidam, ut ex filii filiæque gentilitio colligimus nomine, quod a patre ad liberos tranſiit. In voce FILI duplex vocalis I in unam literam contracta. *Filii* autem per ſyllepſin vocantur filius & filia. A potiori

(*f*) *Gruteri Inſcriptionum* p. 524, n. 3.

tiori denominatio. Contra in voce EIIVS duplicata eſt litera I, vocalis primum, dein conſonans; archaiſmus, Priſciano jam obſervatus (*g*). Alteri vero:

D. M.

SPECTATIÆ SPECTATÆ CONIVGI
CARISSIME LVTTONIVS LVPVLVS
CONIVNX INFELICISSIMVS CVM
FILIABVS POSVIT F. C.

Spectatia Spectata, ſuperioris Spectatiæ Peregrinæ forte ſoror, ex eodem ſaltem Spectatiorum genere nata fuit. Sub Cæſarum enim imperio fratres atque ſorores cognominibus diſtinguebantur, cum libera rep. prænominibus magis fuiſſent diſcreti. Hinc omiſſa plane in utroque ſacrophago prænomina. Siglæ finales F. C. *faciundum curavit* poſt POSUIT pleonaſtice abundant. E ſimplex ſupra in PEREGRINE & hic in CARISSIME pro diphthongo AE poſitum, haud rara veterum lapidum licentia; qua factum, ut ex omni denique ſcriptura diphthongi medio ævo exularent. Siglæ initiales D. M. *Diis manibus* operculis utriusque ſarcophagi inſculptæ ſunt.

Reineſius unicam hanc Wormat. epigraphen, a Langermanno Hamburgenſi JC. acceptam, ſyntagmati ſuo (*h*) inſeruit, ſed vitioſe. Nomen *Speciatiæ* quidem ipſe conjecturis ſuis felix reſtituit in *Spectatiæ*. At nimis, ut eſſe ſolet, audax *Luttonius* in *Lupponius* convertit. Locum tumbæ Spiram falſo indicat.

Alias

(*g*) Conf. *Voſſius de arte Gramm.* lib. I, cap. II.

(*h*) Pag. 775.

Digitized by Google

Alias inſuper inſcriptiones Rom. Wormatia habuit, votivas duas Jovis & ſepulcralem C. Vibii C. F. Volt. Virilionis, quas cum Moguntinis ſuis Huttichius, ex Huttichio Apianus (*i*) & ex Apiano Gruterus; Gaſp. Barthius (*k*) vero ex ſchedis Jac. Beyelli, presbyteri Spir. ediderunt. Iis anonymus Wormat duas, votivam Jovis atque Junonis, cum ſepulcrali C. Candidii Martini iiiii viri Augustalis, aliasque Schannatus addiderunt, quas dolendum periiſſe omnes.

Odernhemium, præfecturæ Alcejanæ, quæ Palatini juris eſt, oppidulum, caſtro imperiali olim munitum, in tabulario publico ſervat autographa cæſarum, quæ cum aliis hujus generis documentis infra producimus, Rudolphi I, qui *cives, milites & filios militum de Odirnheim univerſos* libertate & juribus civitatis Oppenheimenſis feria quinta poſt feſtum pentecoſtes an. 1287 ornavit; dein Alberti I, Rudolphi filii, qui *caſtrum & opidum in Odernheim & nobiles, caſtrenſes, milites, filios militum & alios homines in eisdem habitantes*, non ſolum eisdem Oppenhemii juribus & conſuetudinibus, ſed & mercatu hebdomadali, ſingulis Martis diebus ſecure celebrando, an. 1299 locupletavit. Ludovicus Bavarus Oppenhemii, brevi poſt electionem ſuam, *ſtrenuis ac prudentibus viris, ſculteto, caſtrenſibus, conſulibus & civibus in Odernheim* privilegia & jura ſua omnia confirmavit. Tam arctum Odernhemii cum Oppenhemio vinculum perſtitit, ut una eademque cæſaris oppigneratione in electorum Palatinor. uterque locus tranſierit ditionem. Milites, caſtrenſes & cives Odernheimenſes quocunque olim receſſiſſent, regiorum & imperialium hominum nomen ſervantes, patriæ, unde exierant, nihilominus ob-

Odernheim. Num. I. Num. II. Num. III.

D noxii

(*i*) Pag. CCCCLXXXIIII.

(*k*) *Adverſar.* lib. LII, cap. I.

noxii & vectigales manſerunt; quo factum, ut ſec. XVI in quadraginta & quatuor pagi Wormatienſis locis homines fuerint Odernhemio adſcripti.

In æde parochiali hujus loci S. Rufi, epiſcopi Met. oſſa ex ſeculo III antehac ſervabantur, conſcio Drogone præſule, temporibus Lotharii imp. & Ludovici regis, neſcio quam ob cauſam, huc translata (*l*). Nexum cum Metenſi eccleſia probant literæ Wernheri de Bolanden, qui capitulo ejus majori jus ſuum in eccleſia Odernheimenſi, præſente Philippo rege, a. 1208 reſignavit (*m*). Sed & proximum Odernhemio cœnobium monialium ord. Ciſterc. ex bonis miniſterialium b. Stephani Metenſis eccleſiæ in villa Gummersheim a. 1146 inſtitutum eſt (*n*). Poſtrema cœnobii hujus abbatiſſa fuit Apollonia de Biebelnheim, quæ cum Marg. de Zeiskeim, Eliſ. de Hohenſtein & Anna Jetta de Monzeberg, conventualibus ſuis, in Friderici III electoris manibus a. 1565 illud reliquit. Reliquias S. Rufi bello tricennali, quo regiones has Hiſpani tenebant, Odernhemio Brugam, urbem Belgicam, migraſſe traditur (*o*). Ad murum chori ſupereſt lapis cum imagine epiſcopi. In eadem eccleſia ſepulcrum & epitaphium eſt Juſti Reuberi, inter ſcriptorum rerum Germ. editores celebris (*p*).

In vicino monte ſatis edito, unde jucundum totius amœniſſimæ regionis ſpectaculum longe lateque patet, capella S. Petri extitit, cujus rudera ſeduxerunt geographos multos, ut arcis dirutæ rudera hic quærerent & in tabulis ſuis geographicis indicarent. An. 1400 ipſo die

(*l*) Molani addit. ad *Uſuardi martyrolog.* d. 7 Nov.

(*m*) *Gudeni codex diplom.* tom. I, pag. 409.

(*n*) Ibid. tom. II, p. 13.

(*o*) Ibid. tom. I, pag. cit.

(*p*) Epitaphium hoc inſertum eſt præfationi ad novam voluminis Reuberiani editionem per Georg. Chriſtian. Joannis an. 1726.

Digitized by Google

die S. Pauli apoſtoli Johannes, archiep. Moguntinus, *capellam montis S. Petri in terminis opidi Odernheim* ſuæ dioceſ. ſitam, cujus collatio ad monaſterium in Arnſtein Trevir. diœc. & ord. Præmonſtrat. ſpectabat, poſtquam reſignatione Jacobi dicti Mergeln de Bibelnheim diu vacaſſet, ut jus collationis ad ſedem apoſtolicam legitime eſſet delatum, ejusdem ſedis auctoritate ſibi conceſſa Jo. Schutzio de Bechtolſſsheim, plebano in Heſſeloch, contulit.

Biduum Moguntiæ in delineandis & exſcribendis antiquis marmoribus transactum. Quærebantur maxime lapides aliunde noti, a quo Jo. Huttichius, ſacerdos Mogunt. *collectanea antiquitatum in urbe atque agro Moguntino repertarum*, in ædibus Jo. Schœfferi A. 1720 excudi fecit, quæ in Apiani & Gruteri collectiones deinceps illata, ex idiographis non parum emendari poſſe videntur. Accidit autem præter ſpem omnem, ut nota quærentibus ignota plurima legionum, primæ adjutricis, ſecundæ, decimæ tertiæ & quartæ geminarum, decimæ ſextæ, vigeſimæ ſecundæ primigeniæ; dein alarum Flaviæ II, Hiſpanæ, Ruſonis; cohortium denique Rhætorum & Vindel. Ituræorum I, Thracum IV &c. monumenta in oculos incurrerent, ab Huttichianis, quorum nihil ſupereſt, prorſus diverſa, nec a junioribus inſcriptionum Mogunt. editoribus, J. C. Hiegellio (*q*), Carolo Guſtavo Heræo (*r*) & Georgio Chriſtiano Joannis (*s*), ſi unum alterumve excipias, prodita. Tam ferax eſt antiquitatum Romanarum veteris Germaniæ ſup. metropolis, Moguntia. Monumenta hæc eminentiſſimi electoris Moguntini, magni muſarum Palatinarum patroni, Moguntia.

D 2 muni-

(*q*) In *ſpecimine collectaneor. naturæ, artis & antiquitatis &c.*

(*r*) Qui pœmatibus ſuis, a. 1721 Noribergæ editis, mantiſſam inſcriptionum Mogunt. ſeptennio ante repertarum adjecit.

(*s*) Hic in *tomo novo rer. Mogunt.* Huttichii & Hærei collectanea ſuis adauxit a. 1727.

Digitized by Google

MDCCLXV.

munificentia plane ſingulari, & illuſtriſſ. Wartenslebii comitis, ſocii honorarii, cura & opera in archivum lapidare Palatinum cum nuper illata ſint, in altero, quod paratur, commentariorum academicorum volumine quam accuratiſſime prodibunt in lucem.

Ingelheim. Moguntia Ingelhemium progreſſi veteris palatii, quod Carolus M. hic exſtruxit, ruinas ſcrutati ſunt diligentiſſime, & quæcumque obſervarunt, Schœpflino præſidi abſolvendæ, quæ volumen hoc ornat, diſſertationi tradiderunt.

Crucenacum. Ingelhemio ad Navam perrexerunt & Crucenacum, præfecturæ Palatinæ, ex comitatu Spanheim. enatæ, caput. Oppidum Nava in vetus & novum diſtinguit. In medio eſt inſula & templum parochiale Reformatorum, in quo mauſoleum præſtans ſupereſt Simonis IV, comitis Spanheim. lineæ Crucenacenſis poſtremi, cum epigraphe:

ANNO DOMINI M. CCCC. XIIII. III. CALENDAS SEPTEMBRIS OBIIT NOBILIS DOMINUS SYMON. COMES IN SPANHEIM ET VIENNE HIC SEPULTUS. CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE. AMEN.

Comitatus *Vienne*, cujus hic mentio fit, vulgo *Vianden*, in ducatu Lucelburgico ſitus, ad Simonem hunc pervenit matrimonio cum Maria, Gotfridi, ultimi comitis Vienn. filia, ex qua Eliſabetham ſuſcepit, comiti Palatino Ruperto Pipan, Ruperti imp. filio primogenito, nuptam. Eliſabetha hac ſine prole an. 1417 defuncta, comitatus ille ad matris ejus ex ſorore Adelheide nepotes, Naſſaviæ comites, tranſivit; quinta tantum comitatus Spanheim. anterioris parte penes domum Palatinam tum remanente, ejusdem dono Eliſabethæ, cujus res egregie nuper illuſtravit Crollius noſter Bipont.

Ad

Digitized by Google

ad pag. 29.



F. J. Kisling desig. H. Cöntgen Sc. Mog.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad murum templi erecti ſunt duo lapides Rheni comitum ſepulcrales, quorum alter *Cunradi Ryngravii de Lapide*, qui a caſtro ſuo vernacule tum *Stein*, & diſcriminis cauſa poſtea *Rheingrafenſtein* dicto, quod retro Crucenacum monti inſidet, cognomentum tulit. Dies & annus mortis ejus ex monumento hoc certo non conſtant. Alter lapis, quem æri incidi curavimus, eſt Lucardis, quæ Friderico Rheni comiti nupſerat feria quinta poſt S. Martini A. 1420 (*t*), mater deinceps facta Godfridi & Lucardis, qui cum ipſa in eandem tumbam fuerunt illati. Inſcriptio verbis integris hæc eſt:

ANNO DOMINI MCCCCLV.XIV. DIE MENSIS AUGUSTI OBIIT NOBILIS DOMINA LUCART DE EPPENSTEIN COMITISSA RENI ET GODFRIDUS COMES RENI ET LUCART EJUS LIBERI QUORUM ANIME REQUIESCANT IN PACE AMEN.

Lucardis hæc inſuper filium reliquit Fridericum, ſilveſtrem in Dhun & Rheni comitem, qui biennio poſt cum avunculo ſuo, Godfrido domino de Eppenſtein, de hereditate materna tranſegit. Inſignia Eppenſteinenſia ad ſiniſtram Lucardis. Qui ad dextram leones quatuor, juncta Rheni & ſilveſtrium lineæ Dhun. comitum inſignia hodieque conſtituunt, in ſcuto quadripartito, quod hic ſine partitione ſimplicius. Alibi leones Wildgravici tantum coronati ſunt, Rhingravici nusquam. Kyrburgenſis Wildgraviorum linea tribus, ut ex Flonheimenſi mox lapide patebit, ſcutum ſuum exornavit leonibus, qui & ipſi in Rhingravicum deinceps illati ſunt.

Præter hæc uxoris *Domicelli Rudolfi de Leien*, a. 1408 ultima die Januarii defunctæ; *Hermanni Stampp de Waldecken militis*, a. 1412 decima Kal. Oct. extincti; *Meynhardi de Coppenſtein*

D 3 a. 1503

(*t*) *Scriptor. rer. Mogunt.* tom. I, pag. 814.

Digitized by Google

a. 1503 ſepulti, aliorumque illius ævi militum monumenta ſepulcralia eodem in templo ſervantur.

Flonheim. Crucenaco Flonhemium, majorem Wildgraviorum vicum, caſtro & monaſterio olim inſignem, delati academici, lapidem in æde parochiali repererunt ſuo genere unicum. Antiquæ ſane comitum ſilveſtrium gentis monumentum ſepulcrale præter hoc vix ullum innoteſcit. Imaginem ejus ære quoque damus expresſam. Epigraphe hinc inde læſa, ita reſtituenda eſt:

ANNO DOMINI M. CCC. LXVIIII. X KAL. MAJI OBIIT FRIDERICUS COMES SILVESTRIS DE KIRBERG CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE.

Fridericus hic in eccleſia Flonheimenſi ſepeliri voluit, advocatus quod ejus fuerat. Ignotus fundationis monaſterii annus. Fundavit forte Emicho Wildgravius, qui a ſede ſua *comes de Flonheim* a. 1139 appellatur (*u*). Gerhardi comitis ſilveſtris & advocati eccleſiæ S. Mariæ in Flanheim, cura & precibus factum eſt a. 1181, ut a S. Maximini & S. Albani abbatibus parochialem ejusdem loci eccleſiam monaſterium acciperet, data S. Albano viciſſim decima villæ Budinsheim. Henrici abbatis S. Albani hac de re chartam & archiepiſcopi Mogunt. confirmationem dedit Ill. Senckenbergius (*x*); Cunradi Maximiniani abbatis literas nos infra producimus; eisque duas alias a. 1193 & 1243, haud minus in monaſterii hujus & comitum ſilveſtrium hiſtoria memorabiles, ſubjungimus. Monaſterium per anteceſſores nobilium Johannis & Gerhardi, comitum ſilveſtrium in Thun & Kerberg, fundatum eſſe atque dotatum, Dietericus archiep. Mog. teſtatur in charta, qua in eccleſiam collegiatam a. 1454 illud con-

Num. IV. V. & VI.

(*u*) *Gudeni cod. diplom.* tom. III, pag. 1049.

(*x*) *Meditat. de univerſo jure & hiſtoria* p. 60 ſeqq.

Digitized by Google

ad pag. 30.



F. J. Kisling design. H. Cöntgen sc. Mog.

Digitized by Google

Digitized by Google

convertit; unde advocatia ejus penes eosdem comites eorumque ſucceſſores Rhingravios conſtanter permanſit. Gente Wildgraviorum per Emichonem & Godefridum, Conradi filios, in duas domos, Kyrburgenſem & Dhunenſem, diviſa, fratres hi dominica reminiſcere a. 1283 villam *Vlanheim* inter ſe ita partiti ſunt, ut „ quidquid ſitum eſt verſus ſuperiorem partem cum villa *Ouſhoſen* & cum villa *Boedenheim* ceſſerit in partem domini Emechonis cum bonis & hominibus . . . E converſo vero quicquid „ ſitum eſt verſus inferiorem partem cum villa *Bornheim* & cum „ villa *Eicheloch*, nec non villa *Wendelsheim*, ceſſerit in partem „ domini Godefridi, cum bonis & hominibus, ſicut ſedent, reſident „ & tempore diviſionis inventi fuerunt &c. Lineæ Dhunenſi Godefridi exſtinctæ ſucceſſit Johannes II Rheni comes, ſuperſtite ex linea Kyrburgenſi Friderico illo, Flonhemii ſepulto, qui controverſam monaſterii advocatiam, quamvis eccleſia in parte Dhunenſi ſita eſſet, duplici quinque arbitrorum ſententia a. 1358 & 1367 ſolus retinuit. Sed & Kyrburgenſis pars defuncto Ottone, Friderici hujus filio, ad Johannem III, ſecundi filium, ejusque heredes pervenit.

De monaſterii hujus medio ſec. XV ſtatu laudatæ ſupra Dieterici archiep. literæ hæc habent: „Licet ordinis canonicorum regularium eſſe dicatur & reputetur, tamen prepoſitus & canonici „ ejusdem monaſterii, qui pro tempore fuerunt & nunc ſunt, „ nullam regularem profeſſionem emiſerunt, excepto duntaxat, „ quod cum aliquis inibi in canonicum recipitur, in manibus prepoſiti de non revelando ſecreta capituli & quod obediens erit „ prepoſito ejusdem monaſterii promittit. In prefato etiam monaſterio annus probationis non exſtitit nec ſervatur, nec etiam „ commune habitum fuit nec habetur refectorium, ſed quilibet „ ex dictis prepoſito & canonicis proprias habitationem & prebendam, & illi ex eis Domini officiis inibi intereſſentes cottidianas „ diſtributiones habuerunt & habent, ac prefati prepoſitus & canonici, qui cum eodem prepoſito quinque numero duntaxat fo-

„ re

MDCCLXV.

„ re noſcuntur, & juxta conſuetudinem antedictam hactenus vi-
„ xerunt & vivunt, ac nullam profeſſionem aliam, quam ſupradi-
„ ctam promiſſionem fecerunt, quamvis habitum per canonicos
„ regulares geſtari ſolitum geſtaverint & geſtent .... Compe-
„ rimus etiam quod prepoſitus & canonici predicti nullo modo
„ ad faciendam profeſſionem regularem & ad vivendum aliter,
„ quam prout hactenus ibi extat obſervatum, induci poſſunt ...
„ Et quod in dicto monaſterio ſunt duo etiam ſacra beneficia ſive
„ altaria, clericis ſecularibus aſſignari ſolita, & quod monaſterii
„ ac beneficiorum hujusmodi fructus, redditus & proventus cen-
„ tum marcharum argenti ſecundum communem exſtimationem
„ valorem annuum non excedunt. „ Archiepiſcopus itaque, auctoritate Nicolai papæ munitus, monaſterium in collegiatam eccleſiam, quæ juribus & honoribus omnibus frueretur, quibus aliæ eccleſiæ collegiatæ Moguntinæ civitatis & diœceſeos gaudent, erexit, ita ut præpoſitura *principalis dignitatis*, ſex canonicatus, totidem præbendæ, capitulum cum ſigillo, arca & menſa capitulari, nec non ſex vicarii eſſent; qui omnes in villa *Flanheym* veram & non fictam reſidentiam facerent, Deo famulaturi in horis nocturnis & diurnis. Centum hæc collegiata perſtiterat annos, quum Ottonis Rhingravii lineæ Kyrburgicæ tutores, Anna mater, ex Iſenburgica ſtirpe, & Johannes de Hohenfels, Reipolzkirchæ dynaſta, Proteſtantium Auguſt. confeſſionis dogmata, antiquatis prioribus, Flonhemii ſtabiliverunt. Canonicus unicus ſuperfuit, Conradus Raſoris, quum a. 1554 Arbogaſtus Boos novus inſtitueretur paſtor.

Roggenhuſa. Flonhemio Grevileram, pulcriorem longe, quam quæ in abditis his montium Vogeſianorum receſſibus quæreretur, Rheni comitis ſedem, hincque Roggenhuſam directum eſt iter, ubi inventum ſepulcrum Philippi Camerarii, præfecti hujus oppidi, vivo patre cognomine, primo univerſitatis Altorff. procancellario, viro juris peritiſſimo, a. 1613 defuncti, patruelis Ludovici Came-

Camerarii, cujus in hiſtoria Friderici V Palatini, regis Bohemiæ, celebre nomen. Ex tabulario hujus loci publico duo proferimus inſtrumenta imperialia, quæ ad priſtinam ejus dignitatem maxime pertinent. Priore Ludovicus Bavarus rogante Heinrico, comite Hirſuto de Nova Beinburg, a. 1332 civitatis Francofurtenſis jura & privilegia Roggenhuſanis conceſſit, eaque poſteriore Rupertus Palatinus a. 1407 confirmavit & auxit. Roggenhuſa, ab Hirſutis comitibus ad Electores Palat. translata, Alcejanæ tum præfecturæ ſubdita erat; nunc adſcripta eſt Lutrenſi. Num. VII. Num. VIII.

Lutrenſis quoque præfecturæ eſt caſtrum & oppidulum Wolfſtein, quatuor leucis a Roggenhuſa ſitum ad Lutram, in anguſtiſſima valle. Servant incolæ literas Rudolphi I cæſaris autographas, quibus *apud caſtrum* ſuum *Wolviſtein* civitatem juſſit inſtitui liberam atque munitam, quæ Spirenſis civitatis juribus gauderet; id quod Carolus V imp. Wormatiæ d. 13 Junii 1545 denuo confirmavit. Caſtrum antiquum infra oppidulum eſt; novum, quod adhuc habitatur, ſupra oppidulum. An. 1372 caſtrenſes Wolfſteinii fuerunt Georgius comes Veldentiæ, Nicolaus Blicke de Lichtenberg, Wernerus Winterbecher de Nanſtul & Wolfius de Wolfſtein, qui cum caſtrenſibus in Lutra, ut infra docebitur, unum hujus vallis & regionis ordinem conſtituerunt. Wolfſtein. Num. IX.

Nec Romanorum temporibus anguſtias has caruiſſe incolis, Wolfſteinenſis indicat lapis, qui in palatium Electorale nuper illatus. Difficilis ejus interpretatio, quum Gallica nomina permixta Romanis, & verborum conſtructio plane ſingularis ſit ac vitioſa. Haud procul Wolfſteinio rudera exſtant arcis, quæ a vetuſtate ſua *Heidenburg* appellari ſolent. Inventa ibi haſta ænea, ærugine, quam in nummis Romanorum amamus, eleganter obducta.

Digitized by Google

MDCCLXV.

Otterberg.

Num. X.

In valle Lutrenſi Wolfſteinio progreſſi Otterbergam adierunt academici, oppidum ex abbatia enatum, uti abbatia ord. Ciſterc. ſucceſſerat caſtro. Originem abbatiæ Heinrici archiepiſcopi Mogunt. literæ docent, quibus *eccleſiam in antiquo caſtro Otterburc* Eberbacenſi Rhingoviæ abbati, qui *proprietatem fundi, caſtrum cum adjacentibus & contiguis monti terris & ſilvis a manu Sigefridi* cujusdem acceperat, ad conſtruendum ibi cœnobium a. 1144 tradidit, parochiali laicorum hujus loci cura in vicinum parochum Sambacenſem translata. Sifridum Bebonis Comitis Keſſelbergici filium nuncupat Gaſparus Jongelinus, montis S. Diſibodi abbas (*y*). Ad eundem annum 1144 Schonaugia, ejusdem ordinis ſupra Heidelbergam olim monaſterium, initia ſua refert.

Auctor oppidi Johannes Caſimirus, Friderici III elect. Palat. filius natu minor, qui præfecturam Lutrenſem cum Neoſtadienſi teſtamento patris acceperat. Plenus tum erat PalatinatusGallorum &Belgarum, propter ſacra ſua patria exulum, quorum coloniam inſignem Schœnaugiæ, monachis tum vacuæ, aliam Franckenthalii ſtabilivit Fridericus pater, cum Gallis & Belgis his eadem religionis dogmata profeſſus. Turbavit advenas Ludovicus VI, Friderici filius natu major & in Electoratu ſucceſſor, Auguſtanæ confeſſioni addictiſſimus; unde illi Schœnaugia magno numero migrarunt Neoſtadium, ubi Jo. Caſimirus regnabat, parentis ad leges. Hic pro Schœnaugia ſedem fortunarum conceſſit Otterbergam, ubi multa ædificia erant a monachis deſerta. Membrana, quam *Capitulationem* ſuam vocant Otterbergenſes, hac de re ſcripta eſt Lutræ d. XV Junii a. 1579. In veteris abbatiæ templo, quod a firmitate & amplitudine ſua cathedrale eſſe crederes, Reformati duplici idiomate, Germanico & Gallico, ſacra adhuc ſua celebrant.

In

(*y*) In *notitia abbatiarum ord. Ciſterc.* Lib. II, pag. 60.

Digitized by Google

In templo hoc plura illuſtrium hominum ſepulcra ſuperſunt, hirſutorum maxime comitum, quorum epitaphia verbis contractis ſubjungimus novem:

EBERHARDUS DE BOIMEBURG, epiſcopus Wormat. XI cal. April. an. MCCLXXVII. Montiſpelii in Gallia extinctus, indeque Otterbergam translatus ad ſepulturam (*z*).

ROBERTUS COMES IRSUTUS DE BOIMBURG V IDUS JULII M CC LXXXI.

MARGARETA UXOR GEORII IRSUTI COMITIS X KAL. JULII M CCC VII.

GEORIUS COMES IRSUTUS DE STOLZEBERCH V IDUS FEBRUARII M CCCIX.

DOMICELLUS GEORIUS FILI. GEORII YRSUTI COM. IN DIE S. STEPHANI PROTOMAR. M CCC XXXVIII.

HEINRICUS IRSUTUS COMES DE BEIMBURG M CCC XL.

ELISAB. UXOR HEINRICI IRSUTI COMITIS JUNIORIS DE BEIMBURC KAL. SEPTEM. . . .

J. COMES IRSUTUS DE NANNESSTUL IN VIGILIA OMN. SANCTOR. M CCC XLI.

PHILIP. IRSUT. COMES DE NOVA BEIMBURG IN DIE SIMONIS ET JUD. AP. M CCC LIX.

Ex his emendari & augeri poſſunt, quæ de comitibus hirſutis ſcripſit Senckenbergius Baro (*a*).

(*z*) *Schannati hiſt. Wormat.* tom. 1, pag. 381.

(*a*) In *meditat. de univerſo jure & hiſtoria* pag. 23 ſeqq.

Digitized by Google

MDCCLXV.

Addimus ex eadem æde epitaphia quædam Dunenſium dynaſtarum atque Hohenfelſæ.

ANNO DOMINI MCCXC NONO XVIII KAL. MAJ. O. PIE MEMORIE DNS WIRICUS JUNIOR DE DUNA.

ANNO DNI MCCCIIII. IIII NONAS FEBR. O. DNA ISIGARDIS UXOR WIRICI JUNIORIS DE DUNA.

ANNO DNI MCCCVII. VI KAL. DECEMBRIS O. DNA KUNIGUND. UXOR DNI WIRICI DE DUNA.

Sub uno lapide quieſcunt Wiericus, Melchior & Philippus de Dhun, pater, filius & nepos, comites & domini de Valckenſtein, teſte inſcriptione lapidis vernacula. Wiericus obiit d. 1 Maji a. 1501. Melchior d. 1 Sept. a. 1517, & Philippus d. 15 Febr. 1530.

ANNO DNI M.CCC. XXIX. V. KAL. NOVEMB. O. DN. HEINRICUS DE HOHENVELS.

Lutra. Lutræ in tranſitu ex ſcrinio præfecturæ oblata hujus ſunt inſtrumenta quædam Gallica, res comitum Lucelſteinenſium, quorum poſſeſſiones a ſec. XV juris quoque Palatini ſunt, haud parum illuſtrantia. (Num. XI.) Primo Carolus VI, rex Franciæ, Henrico comiti & uxori ejus, Henrietæ Barrenſi, terram S. Amandi, in Antiſſiodorenſi præfectura ſitam, reſtitui juſſit a. 1373. (Num. XII.) Secundo Eudo de Grancejo, dynaſta, ex longa captivitate liberatus, cum eodem Henrico comite in gratiam ſe rediiſſe profitetur a. 1379. (Num. XIII.) Tertio pacis conditiones continentur, inter Henricum hunc & civitatem Sarburgenſem, quæ monaſterium oppido ſuo proximum, ſub advocatia comitis, eccleſiæ Metenſis beneficio, conſtitutum, everterat.

Altera

Digitized by Google

ALTERA XI dierum excurſio literaria menſe Martio anni ſuperioris ſexageſimi quinti ſuſcepta eſt in præfecturam Lutrecenſem, in qua ſubſtructionem Romanam inventam eſſe præfectus monuerat. Miſſus eo cum ſecretario & Kremero ſodalibus Ferdinandus Denyſius, ſuccenturio, artis metiendi & delineandi peritiſſimus, qui operam ſuam academiæ lubentiſſime non ſemel commodavit. Iter ſecundum.

In via Kirchhemii, comitatus Leiningenſis vico, nonnihil morati ſunt, ubi Templarios olim milites ſubſtitiſſe, Gernshemiumque vicum interiiſſe fama eſt, minime mendax. Tuetur illam charta a. 1283, qua Gerhardus, Cunradus & Godefridus dictus Raub, fratres, filii quondam Emechonis comitis ſilveſtris, bona ſua in *territoriis villarum Gernsheim & Kirchheim* Wormat. dyoc. fratribus de Lacu, domus ordinis militiæ Templi ejusd. dyoc. dono contulerunt. Accedit inſtrumentum a. 1292, quo comites ſilveſtres, Godefridus & Conradus, pater & filius, conſanguineo ſuo, Friderico, *præceptori domorum milicie templi per Alemanniam & Slaviam*, ordinique Templariorum bona ſua in *terminis villarum Kirchheim & Gernisheim* Wormat. dyoc. vendidiſſe dicuntur. Domus de Lacu, cujus hic mentio fit, quingentis vix paſſibus Kirchhemio diſtans, una cum Gernshemio, cui propinquior fuit, omnino pridem exciſa, deleto Templariorum ordine ad milites hoſpitalis S. Johannis tranſiit, ad quorum præceptoriam Wormat. hodieque pertinet. Lacus ducta foſſa, quæ aquam ſtagnantem in rivum Carlbach infert, in prata paluſtria converſus eſt. Kirchheim. Num. XIIII. Num. XV.

Kirchhemio iter per vallem Leiningenſem & Alſebornam, Lutrenſis præfecturæ vicum, qui ab Alſæ, vel, ut antiquius dicebatur, Aliſentiæ fonte hic ſcaturiente nomen habet, Otterbergam & Wolfſteinium ad Lutrecam directum, ubi confluentes ſunt Lutræ & Glani. Sedes hæc fuit familiæ Palatino-Veldentinæ, quæ cum Leopoldo, d. 29 Sept. 1694 Argentorati defuncto, poſtquam ſeptuaginta annos vixiſſet, prolemque numeroſam ante ſe Lautereck.

 extin-

Digitized by Google

MDCCLXV.

extinctam ſepeliiſſet, defecit. In arce, oppidulo adſtructa, monſtratur turris, in qua is filium ſuum natu majorem, non unius homicidii & impietatis, ut tabulæ publicæ eccleſiæ Aug. conf. hujus loci habent, reum, incluſerat. Eædem tabulæ Guſtavum Philippum hunc, fugere conantem, a præfecto cuſtodum ejus, Jeremia Berto, cui manus inferre tentaverit, glande plumbea trajectum & concubia nocte d. 24 Aug. 1679 in templo ſepulturæ majorum traditum eſſe teſtantur, menſem unum ſupra viginti & octo annos natum. Exhibemus porro chartam ſocietatis caſtrenſis, quam comites Veldentiæ, Henricus & Fridericus fratres, d. 2 Nov. a. 1384 cum Ottone, comite ſilveſtri de Kirburg, affine ſuo, inierunt; unde caſtrum & oppidum *Luterecke* jam tum juris Veldentini fuiſſe intelligitur.

Num. XVI.

Meiſſenheim.

Luſtratis Meiſenhemii, Veldentinæ olim, nunc Bipontinæ ditionis oppidi, quod primum muniri & Oppenheimenſis civitatis juribus gaudere juſſit Ludovicus IV imp. a. 1315, monumentis ſepulcralibus Georgii comitis Veldentiæ, a. 1377 defuncti, Wolfgangi ducis, a quo hodierni principes Palatini omnes deſcendunt, Annæ Haſſiacæ, uxoris ejus, Caroli filii natu minimi, lineæ Birckenfeldenſis auctoris &c. (*b*) præfecturæ Lutrec. partem ſuperiorem miſſi petierunt academici.

Reichenbach.

Vicus hic primarius eſt Reichenbach, eique ſuccedit Deynsberg, in quibus ſolis olim parochi fuerunt, donec ultimus ſtirpis Palatino-Veldentinæ princeps, Leopoldus Ludovicus, Jettenbacenſem in Reichenbacenſi & Neunkirchenſem in Deynsbergenſi novas inſtituit. Loca vero omnia, in duas primum, dein in quatuor has parochias deſcripta, pignus fuiſſe Imperii, Veldentiæ comitibus traditum, ex diplomate Ludovici IV

(*b*) Monumenta hæc omnia *orationi de Meiſenhemio* Biponti A. 1727 editæ, adjecta leguntur pag. 20.

Digitized by Google

IV imp. a. 1346 diſcimus, quo Johanni comiti ſilveſtri de Dun conceſſit, ut duas paroecias *Deynsberg* & *Rychenbach* ex Georgii comitis Veldentiæ & Henrici, filii ejus, manibus relueret. Sunt adhuc Reichenbaci feuda Imperii, & in his vetus caſtellum, vulgo *Heidenburg*. In nonnullis chartis ſuperiorum temporum tractus hic omnis *S. Remigien-land* dicitur, a S. Remigii eccleſia, olim præpoſitura Bened. ordinis, quæ trans Glanum in edito monte, in quo præterea caſtellum fuit a S. Michaele dictum. Num. XVII.

Monaſterium S. Remigio, epiſcopo Remenſi, dicatum fuit, quem partem magnam ſilvæ in ſaltu Voſago dato pretio comparaſſe, & villulas ibi *Cosla* & *Gleni* conſtituiſſe, nec non de vicina epiſcopii ſui villa, nomine Berna, incolas eo transtuliſſe, Flodoardus (*c*) ſcribit, ut picem religioſis eccleſiæ Rem. locis quotannis ſubminiſtrarent. Cosla & Gleni hodie *Cuſel* & *Altenglan* vocantur, ditionis Bipontinæ loca, monti Remigiano proxima: quæ abbatiæ S. Remigii, Remis inſtitutæ, tradita, ablata & a Ludovico Transrhenenſi atque Conrado regibus reſtituta eſſe, idem Flodoardus (*d*) refert. Supereſt diploma a. 952, quo Otto M. ad petitionem Conradi ducis, Lotharingiæ ſcilicet, abbatiam nomine *Coslam*, intra fines regni ſui ſitam, quum beneficiaria esſet, monachis regulæ S. Bened. reddidit, & quicquid intra Voſagum ad ipſam abbatiam pertinebat, ſicut ipſi S. Remigio a Chlodomiro Rege, primi Francorum regis Ludovici filio, traditum erat, confirmavit (*e*). Quomodo a Chlodomiro, rege Aurelianenſi, his in Vogeſi partibus, ad regnum Metenſe vel Auſtraſiæ pertinentibus, dona acceperit Remigius, ignoramus. Verior videtur Flodoardi narratio, qui bona iſta picis cauſa dato pretio comparata eſſe ſcribit. Remigsberg.

Sed

(*c*) *Hiſt. Rem.* L. I, c. 20, pag. 108.

(*d*) Ibid. L. III, c. 10, p. 313. Conf. pag. 115. ſq.

(*e*) *Marlot metrop. Rem. hiſt.* t. I, pag. 581.

Digitized by Google

Sed & a. 965 duo Ottones, pater & filius, Ingelhemii cum eſſent, eaſdem poſſeſſiones S. Remigii ratas habuerunt (*f*). Coſlam vero eſſe monaſterium noſtrum Remigianum, Adalberti, archiepiſcopi Moguntini, literæ a. 1127 docent, quibus inter prædia, quæ b. Remigius in diœceſi ſua habebat, circa villam Coſla ſuper fluvium Glan montem commemorat, quo abbas Remenſis fratres quoſdam ſub monaſtica regula viventes, mittere conſueverit, quemque invaſores quidam occupaverint munitione (*g*). Munitione hac indicatur caſtrum, a Veldentinis forte comitibus extructum.

Seculis ſuperioribus Veldentini principes in hoc nonnunquam commorati ſunt monte, & in crypta eccleſiæ, quæ Catholicis regionis incolis nunc parochialis eſt, ſepulturam ſibi elegerunt. Sarcophagi & oſſa adhuc in crypta iſta ſervantur quatuor:

1mo. Annæ, Guſtavi, regis Sueciæ, filiæ, quæ Georgio Johanni, lineæ Veldentinæ principi Palatino, nupſerat. Epitaphium ejus alibi (*h*) editum eſt, ubi tamen corrigendus dies mortis, triceſimus, non ſecundus, Martii a. 1610.

2do. Georgii Guſtavi, Annæ hujus filii natu majoris, cujus epitaphium ſubjungimus: *Hac in urna quieſcit Georgius Guſtavus, Com. Palat. Rhen. Dux Bavar. Com. in Veld. & Sponh. natus in monte S. Remigii Anno M. D. L. XIV. V Febr. Parent. Illuſtriſſ. & Celſiſſ. Georg. Jo. Com. Palat. Rhen. & Anna Suecor. Goth. Principiſſa. In uxorem primo duxit Dn. Eliſabetham viduam Com. Henneberg. e familia Würtemberg. Duc. oriundam anno M. D. LXXXVI. Ipſa Anno M. D. L. XXXXI. mortua. Celebs vixit annos XX. cum trimeſtri. Dein Eliſabetham Com. Palat. Rhen. Anno M. D. CI. XIIX. Maj. cum qua genuit filios V. filias VI. Denatus Anno M. D. C. XXXIV. III Jun. quadrante II. matut. ætatis ſuæ LXX. annor. menſ. III. dier. XXIIX. regnavit ann. XLII.*

Ex

(*f*) Ibid. pag. 604 ſq.

(*g*) Ibid. pag. 322.

(*h*) Additament. ad *Parei hiſt. Palat.* pag. 206.

Ex monumento hoc iterum plura emendari poſſunt Parei ſphalmata.

3tio. Mariæ Eliſabethæ, Georgii Guſtavi com. Palat. viduæ, filiæ Johannis I, ducis Bipontini, quæ d. 8 Aug. 1636 obiit.

4to. Mariæ Eliſabethæ, ſuperioris filiæ, quæ die 12 Sept. 1649 vivere deſiit, ſupra XXXIII annos nata. Fuerat imperiali canonicarum collegio Herfordenſi adſcripta.

Digniſſimus quoque memoratu eſt lapis ſepulcralis Friderici junioris, comitis Veldentiæ, in cujus margine hæc legenda epigraphe:

HIC JACET DNS FRIDERICUS JUNIOR COMES VELDENCIE FILIUS DNI GEORGII COMITIS VELDENCIE. OBIIT ANNO M.CCC.XXVII DIE PARASCEVE. ORATE PRO EO.

Monti Remigiano cis Glanum oppoſitus eſt altior longe, *Pozberg* dictus, in quo veteris caſtelli rudera ſuperſunt, obviumque lignum foſſile ferro mineraliſatum. In viſceribus ejus quæſita olim minera mercurii atque inventa eſt. Ad pedem hujus montis, paulo ſupra Remigianum, ſitus eſt vicus *Gimbsbach*, in cujus agro examinanda erat inventa nuper ſubſtructio, ut ferebatur, Romana. Subſtructio hæc quadrangularis, XVI pedes & dimidium longa, XII lata, VII alta, unoque latere, quo aditus patebat, atrio quodam munita, medii ævi, non Romani, opus, cella promtuaria fuiſſe videtur. Nihil ſane habet, quod eam commendet, præcipui. Romanæ tamen antiquitatis veſtigia, cum terra, qua cella repleta fuerat, effoſſa ſunt, nummi Tetrici & Conſtantiniani minimæ formæ, laterum ſepulcralium fragmina & acus oſſeæ. Similes tum lateres, legionis VIII nomine inſignitos, tum acus oſſeas, ex agro Argentoratenſi produxit ill. Schœpflinus (*i*), qui ſepulcra hujus generis alibi non viderat. Gimbsbach.

F

(*i*) *Alſat. illuſtr.* tom. 1, pag. 509.

MDCCLXV.

derat. Lateribus fractis oſſium permixta erant fragmenta, ut ſepu'cretum quoque Romanum Gimbsbaci fuiſſe minime dubites. Niderbronnæ in Alſatia, aquis ſuis inclytæ, cum vaſis nummorum argenteorum ſeculi III plenis & aris quibusdam deorum erutæ etiam ſunt ex terra acus oſſeæ non paucæ, quarum uſum hic non definimus.

Lautern. In reditu Lutrenſis civitatis tabularium dona quædam literaria haud contemnenda obtulit, primordia ejus a ſeculo XII quæ pulcre illuſtrant, ſimillima iis, quæ de Hagenoa Alſatiæ præſes noſter honorarius retulit (*k*). Utrumque oppidum media in ſilva conditum, ſuaque utrumque initia civilia Hohenſtauficæ genti, apud Germanos imperanti, accepta refert. Utrumque caſtro fuit imperiali inſtructum & domo hoſpitalis, quam clerici regebant Præmonſtratenſis ordinis. Domus hujus jura ac poſſeſſiones confirmavit Fridericus II imp. A. 1215 diplomate, quod Schannatus edidit (*l*). Conatus ſuos in conquirendis cœnobii hujus documentis hiſtoricis irritos fuiſſe, doluit olim Car. Lud. Hugo (*m*), qui ex Rothenſi Sueviæ monaſterio primos monachos a Friderico I imp. Lutram deductos docet. Diſtinguitur in chartis burgum a caſtro. In illo fuit hoſpitale & parochia, in hoc capellæ duæ, quas iidem clerici cum parochia poſſidebant. Burgum ex villa aut vico prodiit, caſtrum a Friderico Barb. extructum Ligurinus (*n*) & Radevicus (*o*) diſerte perſcribunt; idque a Gallorum duce, Hornio comite, anno 1703 pulvere pyrio & igne fuiſſe fœdatum, annales Lutrenſes teſtantur. Civitati Lutrenſi Rudolphus Habsburg.

Num XVIII.

(*k*) *Alſatiæ Illuſtr.* tom. II, p. 353 ſq.

(*l*) *Hiſt. Wormat.* in probat. pag. 99.

(*m*) In *ord. Præmonſtrat. annal.* part. II, pag. 123.

(*n*) *Reuberi ſcriptor.* p. 609.

(*o*) *Urſtiſii ſcriptor.* part. I, pag. 557.

Digitized by Google

burg. Spirenſium jura & privilegia primus conceſſit. Confirmavit illud Rudolphi ſucceſſor, Adolphus Naſſovius, Oppenhemii V idus Januarii 1294. Addidit donum inſigne nemoris ſatis ampli Albertus I. Rudolphi filius, cum eſſet Spiræ; & jus cenſus omnium fere rerum, ad victum & amictum pertinentium, Ludovicus Bavarus Noribergæ. Cenſum hunc, vernacule *ungelt*, dura vel injuſta pecunia, dictum, ad munitionem oppidi converti voluit cæſar, qui in caſtro præſidium alebat nobile, ex Veldentiæ comitibus, Hohenbergæ dynaſtis, Lœwenſteinii, Randeckii, Wartenbergii, Danefelſii, Flershemii, Horneckii &c. militibus lege feudali conſcriptum. Inter quatuor ordines imperiales, (*vier glieder des Reichs*) qui Lutræ fuerunt, caſtrenſes hi primum locum tenebant, iisque accenſebantur caſtrenſes in Wolfſtein, de quibus ſupra (*p*). Sequebantur dein cives, ſaltuarii & adſcriptitii, (*ambtleuth*) qui poſtremi cum caſtrenſibus jus dicebant in ditiono Lutrenſi (*q*). Antiquam eſſe viam regiam, quæ per Lutram ad Lotharingos & Gallos a Rheno ducit, ejusdem Ludovici literæ, a. 1332 Francofurti datæ, certos nos faciunt.

Num. XIX. Num. XX. Num. XXI.

Quomodo Lutra cæſarea, cum Oppenhemio, Ingelhemio &c. ad electores Palatinos primum pervenerit, diploma Wenceslai prodit, quo tradita Ruperto I & Ruperto III ad vitam ipſorum pignora

Num. XXII.

(*p*) Pag. 33.

(*q*) Ditionis hujus ambitus & fines deſcribuntur in charta Friderici comitis Leining. conſtituti a Ludovico elect. Palat. judicis a. 1417, his verbis: *Diſs iſt der begriff und der Zirckel des Richs rechten umb Luttern, zue dem erſten ahn den baumen, der da heiſet des Wolffes bierbaum, der do ſtehet uff der höhe by Kreffſtelbach, und von dannen biſs zue den Wieſendahlen, und von dannen hinder Wadenauwe, und den Sternberg abe biſs zue der Krommenwieden by Luttereckhe, und von dannen hinder Falckenſtein abe biſs ahn die Stole uff dem Stampe, und von dannen biſs ahn die krummen bürcken uff dem Schorleberg, und von dannen hinder Byelſtein heruber biſs den Bremernreine, und von dannen biſs zue den Staffeln, und von dannen biſs zue Barttenſort, und von dannen biſs zue Stirckelbach, und von dannen wieder ahn des Wolffs biernbaum vorgenantt.*

Digitized by Google

MDCCLXV.

gnora imperii in Ruperti II quoque verba jurare jubentur. Oppigneraverat pater Wenceslai, Carolus IV, qui a. 1378 deceſſit. Oppigneravit iterum Ludovico Palatino, filio ſuo, Rupertus III, in Wenceslai locum electus cæſar, a quo tempore Lutram Palatinam, non cæſaream, diceres.

Monaſterium ord. Præmonſtrat. domus hoſpitalis S. Mariæ primum dictum, a. 1510 in eccleſiam collegiatam a Julio II papa converſum, & a Friderico III electore Palat. mutatis ſacris omnino extinctum eſt. Servatur in choro eccleſiæ, Reformatis adhuc addictæ, monumentum familiæ Flersheimenſis, quod ſequitur:

AD DEI LAUDEM PHILIPPUS SPIRENS. DIVINA BENIGNITATE ANTISTES. FRIDERICUS ET BERCHTOLDUS EJUSDEM GERMANI FRATRES A FLERSHEIM HOC SCULPTILE MONUMENTUM SIBI ET MAJORIBUS F. F. ANNO 1530. Paulo inferius:

DIVINA AVOCANTE CLEMENTIA DORMIUNT HIC FOELICITER STRENUUS ILLE FREDERICUS A FLERSHEIM MILES AURATUS VIII JULII ANNO MCCCCLXXIII. MARGARETA DE RANDECK EJUS CONSORS IX JULII A. MCCCCLXXXIX. JOANNES EORUNDEM FILIUS XXVII JULII A. MDXIX. OTILIA KRENCHEN EX KIRCHEN PREFATI JOANNIS CONJUNX A. MCCCCLXXXII. FREDERICUS HORUM FILIUS A. MDLVIII XXV NOVEMBRIS. BECHTOLDUS FREDERICI FRATER A. MDXLVII XIII JUNII. ELIZABETA AB HELMSTADT UXOR BECHTOLDI A. MDXLVI. XIV AUGUSTI. QUORUM ANIMÆ REQUIESCANT IN PACE AMEN.

Rodenkirch. Lutra per Gelnhemium, Adolphi cæſaris clade memorabile, Kirchhemiumque Bolandiæ, primarium hujus regionis oppidum, Rodenkircham, Præmonſtrat. ordinis monaſterium pridem deſertum, adierunt academici, non auri, quod magna copia cuſum paucis abhinc annis ibi inventum eſt, ſed membranarum & lapidum

Digitized by Google

pidum quærendorum cauſa. *Domum Rubram* & *Rubrenſem* veteres dixerunt Latine. Alibi *Rodenkirchen prope Kircheim* vocatur (*r*). Paucilſima de illa habet ordinis Præmonſtratenſis diligentiſſimus ſcriptor, Carolus Lud. Hugo (*s*). Supra portam quandam, ubi refectorium fuiſſe videtur, inſcripta adhuc lapidi hæc verba:

HANC DOMVM FECERVNT
WERNERVS ET GVODA.

Hugo Gudam tantum fundatricem commemorat, quæ d. 19 Junii anni incerti obierit. Suſpicatur illam fuiſſe Philippi I de Bolandia filiam, cujus mentio fit in charta Mogunt. a. 1290. At centum minimum annis Gudam hanc præceſſerat fundatio. Nam a. 1190 Rodenkirchenſes a Franckenthalenſibus monachis jam fundum in Albsheim emiſſe conſtat. Eccleſiam parochialem in Albesheim & capellam in Gowersheim a Prumienſi abbatia an. 1231 iidem acceperunt in feudum, quod Simon, Leininga-Dagsburgi comes, & ab hoc Bolandiæ dynaſtæ tenuerunt. Ludewicus, Rodenkirchenſis abbas, propter parochiam hanc archiepiſcopo & archidiacono Mogunt. debita ſe præſtiturum promiſit a. 1258 (*t*). Wernerus & Guda itaque, monaſterii conditores, ſeculo XII vixerunt, parentes ſine dubio Werneri de Bolanden & Gudæ, quæ Wolframo, Rheni comiti, ſub finem ejusdem ſeculi nupſerat. Nominibus his in gente Bolandica nihil frequentius. Lukardim monaſterii advocatiſſam, ad a. 1278 Hugo prodit. Jus advocatiæ a Bolandiæ dynaſtis per Spanheimenſes & Hohenloicos comites ad Philippum I, Naſſoviæ comitem, deſcenderat, cum a. 1418 Johannes archiep. Mog. Matthiæ

(*r*) Charta Theoderici archiep. Mogunt. a. 1438, in *Gudeni cod. diplom.* tom. 1, pag. 659.

(*s*) Part. 1, pag. 632.

(*t*) *Gudenus* l. c. pag. 657.

Digitized by Google

Mdcclxv.

abbatis & conventus Rodenkirchenſis querelis ac precibus commotus, a Philippo hoc ad Ludovicum, electorem Palatinum, illud transtulit (*u*). Ultimus abbas fuit Petrus Sutoris de Kirchheim a. 1554, quo Flonheimenſe quoque monaſterium interiiſſe ſupra docuimus. Transactio Paſſavienſis, biennio ante facta, pluribus antiqui ritus eccleſiis in Germania fuit exitialis, Proteſtantes quod reddidit audaciores. Gudenus a tumultuantibus a. 1525 ruſticis Rodenkircham everſam fuiſſe putavit (*x*).

Albsheim. In reditu Albshemium ad Primmam, vetus Albulfivilla, perluſtratum, palatio olim regio ſuperbum, cujus aream incolæ adhuc oſtendunt. Memoriam ejusdem tuetur via, ut vocant, regia, quæ Wormatiam ducit, & feſtum, quod ſingulis annis die lunæ poſt S. Galli celebrant, regium, ob conceſſa ſibi a Ludovico Germanico, quod dicunt, jura & bona ampliſſima.

Succedunt chartæ, quas paſſim indicavimus, integræ, ex ſcriniorum latebris primum nunc in lucem protractæ. Inſignem earum in hiſtoria, Palatina maxime, uſum rerum harum peritus negaverit nemo.

(*u*) *Gudenus* tom. IV, pag. 119.

(*x*) Ibid. pag. 120.

DOCU-

Digitized by Google

DOCUMENTA

Num. I.

Diploma Rudolphi I. imp. quo Odernhemio jura civitatis Oppenheimenſis confert, duoque hæc oppida inter ſe arctiſſime connectit
An. MCCLXXXVII.

Nos Rudolfus Dei gracia Romanorum rex ſemper auguſtus tam preſentibus quam futuris volumus eſſe notum, quod nos cives, milites & filios militum de Odirnheim univerſos eadem libertate & jure, quam libertatem & jura cives Oppinheim. habent ab imperio, libertavimus & liberos dicimus in hiis ſcriptis. Volentes & ſtatuentes, quod quicunque dictos cives de Odirnheim in juribus aut bonis eorum gravaverit, offenderit aut quicquam moleſtie contra libertatem ipſis a nobis & imperio indultam intulerit, quod hoc cives Oppinheim. predicti tanquam eis illatum & implictum, conſilio, verbo & opere vindicare debeant, & ad hoc toto niſu intendere, quod ad ſtatum debitum reducatur. Similiter quicunque cives Oppinheim. in juribus & libertate ſua aut in bonis ſuis contra debitum gravare vel moleſtare preſumpſerit, quod hoc cives in Odirnheim ſupradicti, ut dictum eſt, conſilio, verbo & opere vindicare debeant, & ad hoc intendere toto niſu, quod illud ſopiatur & ad ſtatum debitum reducatur. Ut autem in premiſſis ſint unanimes & concordes, volumus & mandamus, ut quicunque ſit officiatus imperii apud Oppinheim, quod idem fungatur eodem officio ſive ſit officiatus apud Odirnheim civitate imperii ſupradicta. Nos igitur cives Oppinheim. predicti volentes juxta mandatum domini noſtri regis prefati univerſa & ſingula premiſſa inviolabiliter obſervare, noſtre civitatis ſigillum duximus in teſtimonium preſentibus appendendum. Datum an. Dni milles. CC. LXXXVII. proxima quinta feria poſt feſtum penthecoſtis.

Ex autographo.

Num. II.

Digitized by Google

Num. II.

Diploma Alberti I. imp. quo jura civitatis Odernheim. confirmat & auget An. MCCXCIX.

Ex autographo.

Albertus Dei gracia Romanorum rex ſemper auguſtus. Univerſis ſacri Romani imperii fidelibus graciam ſuam & omne bonum. Ad univerſitatis veſtre noticiam volumus pervenire, quod nos caſtrum & opidum in Odernheim & nobiles, caſtrenſes, milites, filios militum & alios homines in eisdem habitantes, ad inſtar ſereniſſimi Dni Rudolfi Romanorum regis genitoris & predeceſſoris noſtri kariſſimi, libertamus preſentibus & dotamus omnibus libertatibus, graciis, juribus & conſuetudinibus, quibus opidum noſtrum in Oppenheim, milites, filii militum, & cives ibidem libertati ſunt, a nobis noſtrisque predeceſſoribus, vel dotati. Et quia ipſum opidum eſt forenſibus negociis opportunum, quia eciam ex eo, quod commercia & negociaciones in diverſis locis a diverſis exercentur hominibus, fructuoſus effectus conſuevit in illis exercitacionibus provenire eo quod defectum unius partis vel loci ex alicujus rei carencia incidentem alterius loci vel partis ſuppleat habundantia tam habunde, quod excluſis defectibus utrobique & hic & illic rerum & mercimoniorum profectibus hominum copia proveniat copioſa, in predicto opido Odernheim forum ſeptimale die Martis frequentandum & exercendum, regalis edicit ſerenitas, ipſum forum & homines ipſum frequentantes talis gracie privilegio gaudere volentes, quod in ipſius fori die vel loco nullus hominum pro aliqua cauſa vel culpa antiqua, niſi forte eodem die factum novum emerſerit, quod debite corrigendum decernimus, poſſit vel debeat aliqualiter conveniri vel quomodolibet moleſtari. Molendina eciam & piſtrina frequentare pro ſuis negociis expediendis poterunt dicti cives & incole, ubicumque ipſis videbitur opportunum. In quorum teſtimonium preſentes literas conſcribi & majeſtatis noſtre ſigillo mandavi-

davimus roborari. Datum in Wyſebaden XV Kal. Julii anno Dni milleſimo ducenteſimo nono, indict. XII, regni noſtri anno primo.

Num. III.

Diploma Ludovici Bavari eidem civitati Odernheim. datum An. mcccxiv.

Ludovicus Dei gratia Romanorum rex ſemper aug. univerſis ſ. Rom. imperii fidelibus &c. Noverint igitur preſens etas & futuri temporis ſucceſſura poſteritas quod nos integre fidei puritatem, qua ſtrenui ac prudentes viri ſcultetus caſtrenſes conſules & cives in Odernheim fideles noſtri dilecti erga nos & imperium hactenus claruerunt, gratioſius attendentes, conſiderantes quoque benignius quam grata nobis & imperio impenderint obſequia & ad huc impendere poterunt graciora devotis eorum ſupplicacionibus motu benignitatis ſolite gratulabundius annuentes omnia privilegia omnesque libertates & gratias prout a divis imperatoribus & regibus Romanorum illuſtribus noſtris anteceſſoribus ſunt conceſſa . . approbamus, confirmamus &c. Datum Oppinheim X Kal. Jan. indictione XIII. anno Dni milleſ. trecenteſ. quarto decimo, regni vero noſtri anno primo.

Ex autographo.

Num. IV.

Cunradi abbatis S. Maximini literæ, quibus eccleſiam de Flanheim præpoſito eccleſiæ b. Mariæ ibidem confert An. mclxxxi.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Ego Cunradus Dei gracia abbas Sancti Maximini. Sicut ex beneficio predeceſſorum noſtrorum nobis proviſum eſt, ut de eis que ante nos geſta ſunt non dubitemus. ita nimirum filiis noſtris equum eſt, ut provideamus. notumque facimus preſentibus & futuris. quod petitione dilecti

Ex autographo.

Digitized by Google

MDCCLXV.

noſtri Gerardi Silveſtris comitis & aliorum amicorum noſtrorum non ſine aſſenſu capituli noſtri eccleſiam de *Flanheim* cum defuncto paſtore vacaſſe contigiſſet. nam jus patronatus cum abbate Sancti Albani alternatim poſſidemus. Werenboldo prepoſito eccleſie beate Marie, que eſt in *Flanheim* omnibusque ſucceſſoribus ejus in perpetuum jure paſtoris habendam conceſſimus. Et quia predictus comes decimam ejusdem eccleſie de nobis in feudo habet. ne aliquam ipſe vel ſucceſſores ſui de jure inveſtiendi queſtionem movere poſſent manum ſuam adhibuit. et omne juris ſui ſi quod erat una nobiſcum ipſis contulit. Et quoniam in antiquioribus privilegiis eccleſie noſtre ejusdem eccleſie mentio ſit, ut omnem ſuper hoc dubitacionem ſucceſſoribus noſtris nec minus heredibus predicti comitis auferremus inpreſſione ſigilli noſtri atque ejusdem comitis preſentem cartulam communivimus. Si qua igitur laicalis vel eccleſiaſtica perſona huic noſtre atteſtacionis veritati contradicere voluerit anathema ſit. Hujus rei teſtes ſunt de Moguntina eccleſia Volpertus. abbas Sti. Jacobi. Arnoldus prepoſitus majoris eccleſie. Henricus decanus. Hermannus cantor. de eccleſia beati Maximini. Walramus prior. Gerardus prepoſitus. Ezelinus cantor. de hominibus comitis. Hermannus de Hottenbach. Wernerus de Rune. Herebordus Dapifer & quam plures alii. Acta ſunt hec anno ab in carnat. Domini M. CLXXXI. indict. XIIII.

Num. V.

Sophiæ abbatiſſæ veteris monaſterii in Moguntia literæ, quibus pactum permutationis inter advocatum ſuum, Wolframum de Lapide, & fratres eccleſiæ S. Mariæ in Flanheim initum confirmat AN. MCXCIII.

Ex autographo.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Sophia Dei clementia abbatiſſa veteris monaſterii in Moguntia. Generatio preterit & advenit unde cautum eſt ea que inter homines contrahuntur ſcripto muniri ne ipſa contingat per oblivionem infirmari. Noverint ergo univerſi fideles Chriſti ad quos preſens pagina pervenit. quod

cum

cum nos & eccleſia noſtra videlicet beate Marie in veteri monaſterio curtim unam & bona curti pertinentia titulo proprietatis poſſideamus in villa *Rumersheim* vir quidam de bonis eisdem manſum unum quem hereditarie poſſidebat in obitu ſuo contulit eccleſie ſancte Marie & fratribus in *Flanheim* perpetua hereditate ab ipſis poſſidendum noſtra tamen juſtitia conſervata. Cum autem bonorum & curtis noſtre advocatus Wolframus de Lapide cui cenſum de manſo illo provenientem aſſignaveramus pro ſua juſtitia annuatim percipiendum occaſione ipſius manſi fratres nimium gravaret. fratres pacem ſibi querentes manſum eundem a jurisdictione advocati exemerunt per concambium. et de bonis ſue eccleſie unde & de juſticia advocati & de cenſu manſi ſupra dicti quem cenſum diximus advocato pro ſua juſticia de anno ad annum percipiendum aſſignaveramus ſufficientem poſſet reſponderi dederunt reſtaurum. ſalva ſiquidem nobis noſtra juſticia. Videlicet ut de manſo memorato noſtra curtis ad quam manſus pertinet ſepiretur. placitum noſtrum viſitaretur. & manſi poſſeſſore defuncto caput optimum nobis ſolveretur. Ceterum hoc quoque pactum adnexum eſt. ut bona eadem que advocatus in reſtauro acceperat. eo jure quo ſibi collata fuerant. quilibet ejus ſucceſſor advocatus ſucceſſive in poſterum poſſideret. Sunt vero hec bona reſtauri molendinum in *Werſtat* villa cum prato & vinea. Quod quia nobis inſciis & aſſenſu noſtro non requiſito actum fuit. ratam habere nolluimus. Veruntamen utrique tam fratrum quam noſtri amicorum inſtancia commonente, & rebus eccleſie illius intervenientibus obtentum eſt a nobis & a noſtro capitulo. quod manſum illum ſepedictis fratribus cum plena libertate indulſimus in placito noſtro in preſentia & de favore hominum ſupra memorate curti noſtre pertinentium. Indulſimus utique hac exceptione quod nullum de cetero reſpectum in aliqua juſticia inde ſolvenda ad nos ceu ad ſuccedentes nobis abbatiſſas ſive ad noſtram habeant eccleſiam. fratres enim in bonis, que advocato dederunt de cenſu noſtro quem de manſo ſepedicto perceptu-

MDCCLXV.

cepturus erat loco juris advocatie quod ei ſolvere debuimus tam ipſi advocato quam ſuis ſucceſſoribus advocatis ſatis fecerunt ea plenitudine quod in perpetuum nec ad ipſum nec ad ſibi ſuccedentes in advocacia. hujus manſi ratione aliquem habebunt reſpectum. Ut igitur omne factum iſtud ratum permaneat ſuper hoc preſens ſcriptum ſigillo noſtro inſignitum fieri ſtatuimus. Teſtes apponentes, quorum nomina ſunt hec. Arnoldus major prepoſitus. Heinricus decanus. Rucgerus cuſtos. Petrus ſcolaſticus. Godefridus cantor. & capitulum majoris eccleſie Maguntine. Buotda decaniſſa. Benigna cameraria & Sophia cuſtodiſſa veteris monaſterii. Baldemarus ſacerdos in Werſtat. Laici. Embricho advocatus. Eberhardus advocatus. & Theodericus & Adelhardus & Wolframus de Flanheim. Herbordus ſcultetus. Cunradus diſpenſator abbatiſſæ & alii quam plures Criſti fideles. Acta ſunt hec anno dominice incarnationis. M. C. LXXXXIII. indictione XI. tertio nonas Decembris.

Num. VI.

Charta manumiſſionis Heinrico de Vlanheim & uxori ejus data a Conrado comite Silveſtri AN. MCCXLIII.

Ex autographo.

Conradus comes Silveſter Giſela comitiſſa Emicho filius eorum omnibus in perpetuum. Cum ab Heinrico homine noſtro, marito . . . de Vlanheim, ſicut ab illis noſtri juris hominibus conſueta exigeremus ſervitia, ipſi ambo jure ſervitutis cupierunt liberari & eccleſie ſancte Marie in Vlanheim abſolute adherere mediante dilecto & familiari noſtro Tragebotone ejusdem eccleſie prepoſito, ut hujusmodi libertatem ſibi confidere velimus, nos ſupliciter . . . & ut libentius ſue annueremus petitioni quinque marcas Colonienſium denariorum nobis ſe ſoluturum promiſit. Nos vero precibus tam dicti prepoſiti & aliorum noſtrorum familiarium pro jam dicto Heinrico intercedentium inclinati predictos quinque marcas accepimus & jam dictum Heinricum & uxorem ejus & omnes res ipſius quas modo habet vel quas in poſterum habiturus

rus

Digitized by Google

rus eſt perpetuo a noſtra ſervitute & noſtrorum ſucceſſorum abſolvimus, ut nec perſonalia vel realia nobis unquam in poſterum cogatur facere ſervicia ſed mera gaudens libertate ſolummodo ecclesie predicte adhereat & prepoſitis, qui pro tempere fuerint aſtrictus maneat debita exhibere fidelitatis obſequia. Teſtes hujus rei & libertatis donate ſunt. Tragebodo prepoſitus de Vlanheim hujus frater & canonicus de Vlanheim Johannes capellanus de Dunen. milites Godefridus dapifer cognomine *Ungerech* & frater ejus Wilhelmus de .... & ali quam plurimi. Acta anno Domini 1243 . . . idus Marcii.

Num. VII.

Ludovicus IV. imp. civitatis Francofurt. jura concedit oppido Roggenhuſen An. mcccxxxii.

Wir Ludewig von Gots genaden. Romiſcher Cheyſer. ze allen ziten. merer des Richs. Tun chunt allen den die diſen brief. ſehent oder hœrent leſen. Daz wir dem Edlen manne Heinrich dem Ruchgrafen von der nuwen Beinburg, unſerm lieben getruwen durch der dinſt willen. die er uns und dem Riche getan hat. und noch tun ſol und mach. ſein Stat Roggenhuſen gefreiet haben. und freien im ſi auch. von unſerm Cheyſerlichem gewaltte. mit diſem brief. und geben der ſelben Stat. Roggenhuſen und den Luten. die yetzu darinne wonent und ſedelhaft ſint. oder furbaz wonent und ſitzent werdent. alle diu recht, freyung und gut gewonheit, die unſer und des Richs Stat. Franchenfurt habent iſt. Und wellen und gebieten allen unſern Ampthuten . . Lantvogten . . Vogten . . und andern unſern und des Richs getruwen. Edlen und Unedlen, ſwie die genant ſein. veſtichlich. daz ſi diſe unſer genade ſtæt halten. und mit nichte ubervaren. als lieb in unſer und des Richs hulde ſein. Und des ze Urchunde geben wir diſen brief verſigelten, mit unſern Cheyſerlichen Inſigel . . Der geben iſt ze Franchenfurt. an dem Montag vor Ex autographo.

unſer Frawen tag ze Liechtmeſſe. da man zalt von Chriſtus geburt. drutzehenhundert Jar. Darnach in dem zwey und dreizzigſten Jar. In dem Achtzehenden Jar unſers Richs. und in dem fümften des Cheyſertums.

Num. VIII.

Rupertus rex Rom. oppidi ſui Roggenhuſen privilegia confirmat AN. MCCCCVII.

Ex autographo.

Wir Ruprecht von Gots Gnaden Romiſcher Kunig zu allen ziten Merer des Richs. Bekennen und tun kunt uffinbar mit dieſem Brieue allen den die yn anſehent leſent oder horent leſen das wir haben angeſehen getruwen willigen vnd ſtetigen Dinſt den vns vnſere lieben getruwen Burgermeiſtere Rad vnd burgere gemeinlichen unſer Stadt Rockenhuſen dicke willeclichen vnd vnuerdroſslich getan hant vnd auch vns vndvnſern Erben Pfalzgrauen by Rine vorbas tun ſollent vnd mogent in kunftigen Ziten vnd vmb des willen das wir vnd vnſere vorgeſchrieben Erben ſie hinvor deſto geverter in vnſern dinſten machen vnd haben mogen. So han wir vnſer Kunigliche miltekeit die allezyt geneiget iſt yre getruwen vnd vndertanen gnedeclich zu bedencken mit yne geteilet vnd haben yn von vnſern beſundern Gnaden gegunnet vnd erleubet gunnen vnd erleuben yn in craſſt diſs brieues vnd Romiſcher Kuniglicher Mechte vollenkomenheid das ſie vnd yre Nachkomen Burgere zu Rockenhuſen in vnd zu derſelben Stad Rockenhuſen vnd yrem begriffe vorbas ewiclichen allerley lute ſie ſin Edel oder vnedel Burgere oder gebure von wanne die komen, oder wo die geſeſſen weren die da heblich ſeſshaſſtig vnd wonhaſſtig zu Rockenhuſen ſizen vnd huſelich daſelbs wonen wollen zu Burgern daſelbs zu Rockenhuſen uffnemen empfaen vnd behalten mogen vnd ſollent darumb von allermenglich vnd eyme iglichen beſunder one alle anſprache vnbekumert vnd vngehindert verliben doch uſsgenomen ſoliche lute die nachfolgende Krige hetten oder eins Herren vnuerrechent Ampt-

Amptlute weren. Dartzu tun wir yn die beſunder Gnade in crafft diſs brieues das ſie nymant ſamentlich oder ſunderlich für vnſer Kuniglich Hofgericht dheine Lantgericht oder Gericht heiſchen anſprechen oder beclagen ſolle oder mege. Sunder ob yemand an dheillnen einzlingen Burger oder Inwoner der obgenanten Stad Rockenhuſen an yre liebe oder gute die ſie ynne vnd redelichen herbracht haben wo ioch die gelegen ſint icht zu ſprechen hette, der ſol darumb daz recht von yn nemen für dem Burgermeiſter vnd Rade der obgenanten vnſer Stad Rockenhuſen die auch zu einer iglichen Zyt dem Cleger des Rechten fürderlichen beholffen ſin ſollen von ſiner Anſprache wegen, Wer es aber das yemant an die gemeine Stad zu Rockenhuſen ichts zu ſprechen hette dem ſollent ſie für vns vnd vnſern erben Pfalzgrauen by Ryn oder vnſern oberſten Amptluten zu Alzey von unſern wegen ... Auch als von langen Zyten her eins iglichen Jars ein Jaremarkt zu Rockenhuſen geweſt iſt uff Sanct Michels dag vnd auch ein Wochenmarckt uff den Mitwoche in einer iglichen Wochen, dieſelben Jarmarckt beueſten vernuwen beſtetigen vnd confirmiren wir den obgenannten Burgermeiſtern Rade und Burgern vnſer Stad Rockenhuſen von Romiſcher Kuniglicher Mechte vollenkomenheid die vorbaz zu ewigen Ziten zu beſizen zu haben vnd zu halten mit allen yren Rechten vnd Gewonheiden als ſie die bisher inne vnd herbracht hant. Und ſollen auch alle vnd igliche ſie ſin arme oder Riche die dieſelben Jarmarckt oder Wochenmarckt ſuchen zu einer iglichen Zyt ſo ſie die ſuchen in vnſerem vnd des heiligen Richs ſchirme vnd Geleite ſin ane alle geuerde. Vnd ſol auch derſelben libe vnd gute eins iglichen jares einen ganzen tag vor ſant Michels tage als der Jarmarckt anget die Zyt alle als derſelbe Jarmarckt weret, und einen ganzen tag nach ſant Michels tage als er uſsget vnd darzu eins iglichen Mitwochen als der Wochenmarckt daſelbs zu Rockenhuſen iſt denſelben tag allen für allem kumer vnd verbodte aller vnd iglicher vnſer Amptlute Richter vnd ſunſt allermeniglichs in der vorgenanten

vnſer

Digitized by Google

Mcclxv.

vnſer Stad Rockenhuſen lidig ſicher vnd fry ſin, uſsgenomen diebe dupen Mordere raubere Noitzogere Felſchere oder die by geuerlicher maſſe oder vnrechtem Gewicht funden worden, oder die ymant an ſinem libe oder Gute freuenlichen beſchedigiten, wann die dieſe vnſer Gnade vnd Friheit nit ſchirmen noch yn zu Hülfe komen ſol in khein wiſe an alle Geuerde. . Auch haben wir vmb beheltniſse willen derſelben vnſer Stad Rockenhuſen den Burgermeiſtern Rade vnd Burgeren gemeinlichen daſelbs die beſunder Gnade getan vnd tun yn die auch in craſſt dieſs brieues und Romiſcher Kuniglicher Mechte vollenkomenheid für vns vnſere erben Pfalzgraven by Rine vnd ſunſt allermenglich vnd wollen ſezen vnd orden, das alle vnd igliche ligende guter in der Marcke zu Rockenhuſen gelegen die Edelleute oder geiſtliche lute ſie ſin Pfaſſen Muniche oder Nonnen an ſich bringen oder ziehen werden es ſy mit kauſſen mit ſatzungen mit uſſholen oder in welicherlei wiſe ſie dieſelben gutere an ſich bringen werden oder an ſie geuallen mogent, die vor betthaſtig vnd Sturhaſtig gutere geweſen ſin, vorbas vmmermee ewiclichen bete vnd Sture geben ſollent glicher wiſe als andere vnſerr Burger Gutere daſelbs zu Rockenhuſen ane Geuerde. . . Als auch daz Vngelt zu Rockenhuſen gantze zu dem Buwe vnd beſſerunge derſelben vnſer Stad Rockenhuſen biſsher geuallen iſt vnd gehort hat, daz vnſere altfurderen ſeligen auch alſo gehalten hant vnd uf vns alſo comen iſt, alſo ſezen und orden wir für vns vnſere erben vnd aller menglich in craſt dis Brieues vnd wollen auch das daſſelb vngelt zu Rockenhuſen vorbas zu ewigen Ziten zu dem Buwe und beſſerunge der vorgenanten vnſer Stad Rockenhuſen ganze geuallen ſolle, Vnd das wir vnd vnſere erben Pſaltzgrauen by Rin oder nymand anders den vorgenanten Burgermeiſtern Rad vnd Burger gemeinlichen vnſer Stad zu Rockenhuſen vnd derſelben vnſer Stad an dem vorgeſchrieben Vngelte nit abbrechen ſunder das zu ewigen Ziten dartzu geuallen laſſen ſollen vnd wollen ane mynnerniſſe Vnd das auch die Burgermeiſtere vnd Rad daſelbs daz zu

einer

einer iglichen zyt ingewinnen ufſheben vnd innemen vnd beſſerunge damit tun, vnd auch vns vnd vnſeren erben Pfalzgrauen by Ryn oder vnſeren Amptluten von vnſeren wegen ſo wir des begeren vnd daz an ſie fürdern rechenung davon dun ſollen . . Dartzu beſtetigen beueſten vernuwen vnd confirmiren wir auch in craft diſs Brieues den vorgenanten vnſern Burgern vnd Stad Rockenhuſen alle vnd igliche ire vnd derſelben vnſer Stad Rechte friheit gnade ere vnd gute gewonheide damit ſie von Romiſchen Keiſeren vnd Kunigen vnſern Vorfaren an dem Riche vnd auch vnſern altfürdern Pfalzgrauen by Rine vnd Hertzogen in Beyern ſeligen Gedechtniſſe begnadet worden ſin vnd herbracht haben es ſy mit brieuen oder ane brieue, wie man die benennen mag mit ſunderlichen Worten, in allen yren punckten Meinungen vnd Artickeln von Worte zu Worte als ſie begriffen vnd auch redelichen behalten vnd erworben ſint glicher wiſe als ob ſie in dieſem brieue genzlichen begriffen weren, oder ob ſie durch Recht oder Gewonheit von Worte zu Worte begriffen ſin ſolten. Vnd gebieten hervmb allen vnd iglichen Fürſten Geiſtlichen vnd werntlichen Grauen Fryen Herren dienſtluten Ritteren Knechten gemeinſcheften der Stedte Merckte vnd dorffere vnd ſunſt allen andern vnſern vnd des Heiligen Richs vndertanen vnd getruwen ernſtlichen vnd veſteclichen mit dieſem briefe, das ſie die obgenannten Burgermeiſtere Rad vnd Burgere vnſer Stad Rockenhuſen an den obgeſchrieben vnſern Gnaden vnd Friheiten nit hinderen noch yrren in dhein wiſe. Sunder ſie geruweclichen daby verliben laſſen vnd auch hanthaben ſchuzen vnd ſchirmen als liebe yn ſy vnſer vnd des Heiligen Richs ſwere Vngnade zuvermiden, vnd darzu ein Pene zwenzig Marke lotiges Goldes, die ein iglicher als oft er der Stucke einz uberfure verfallen ſin ſol die halb in vnſer vnd des Richs Camer vnd daz ander halb deil den obgenanten Burgermeiſtern Rade vnd Burgeren gemeinlichen vnſer Stad Rockenhuſen vnleſslichen geuallen ſollen, Orkund diſs Brieues verſiegelt mit vnſer Kuniglicher Majeſtat Ingeſiegel . .

Digitized by Google

MCCLXV.

Geben zu Altzey nach Criſti Gepurte vierzehen hundert Jare vnd darnach in dem Sybenden Jare uff den neſten Fritag nach ſant Lucas tag des heiligen ewangeliſten vnſers Richs in dem achten Jare.

Num. IX.

Rudolphi I. imp. litteræ de condenda civitate apud caſtrum ſuum Wolviſtein AN. MCCLXXV.

Ex autographo.

Rudolphus Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus. Univerſis ſacri Romani imperii fidelibus gratiam ſuam & omne bonum. Benigna gratie noſtre proviſio, ſedula diſpenſatrix utilium, quam ſub quodam humane compaſſionis applauſu, regalis fortune faſtigium, clementer amplectitur, naturali quodam inſtinctu ſubjectorum comoditatibus ſe libenter habilitat, & communi quieti fidelium liberaliter condeſcendit. Sane digna conſideracione penſantes, quod apud caſtrum noſtrum dictum Woluiſtein, utpote locum ad hoc aptum & habilem, poſſit civitas inſtaurari. in qua communis utilitas circumpoſite regionis indigenis & exteris procuretur preſenti edicto ſtatuimus & mandamus, quatenus in eodem loco munita civitas & libera inſtauretur. & ut ad civitatem predictam facilius & commodius confluat populi multitudo. & ementibus & vendentibus apciora commercia miniſtrentur. preſencium ſerie duximus concedendum, quod civitas ipſa eisdem immunitatibus libertatibus & juribus gaudeat univerſis & ſingulis, quibus Spirenſis civitas ex clarorum predeceſſorum noſtrorum imperatorum & regum Romanorum largicione congaudet. In cujus rei teſtimonium preſens ſcriptum exinde conſcribi & majeſtatis noſtre ſigillo juſſimus communiri. Datum Hagen. XVI. Kalen. Januarii indictione IIIIa. Anno Dom. M. CC. LXX. quinto Regni vero noſtri anno tercio.

Num. X.

Digitized by Google

Num. X.

Literæ fundationis monaſterii Otterburg. AN. MCXLIV.

In nomine ſacroſancte & individue Trinitatis notum eſſe cupimus tam futuris quam preſentibus. qualiter ego Heinricus divina clementia Maguntine ſedis archiepiſcopus, volens cooperari piis ſtudiis Eberbacenſis abbatis, eccleſiam in antiquo caſtro *Otterburc* ſitam nec non beneficium eccleſie cum proxima villula cum dono altaris ac denominacionibus ſimulque cum omni juſtitia ſinodali ad me . . . reſpiciente, prefato abbati ad conſtruendum ibidem cenobium religioſorum contradidi, preſente & annuente prepoſito & conſanguineo meo Gerlaco Sancti Victoris, in cujus archidiaconatu prefata eccleſia conſiſtit. Ejusdem autem eccleſie proprietatem fundi, ſcilicet caſtrum cum adjacentibus & contiguis monti terris & ſilvis quibusdam prefatus abbas a manu *Sigeſridi* & coheredum ſuorum pro remedio animarum ſuarum recepit. Pro paucis vero ejusdem territorii incolis, ne omnino proviſore & paſtore animarum ſuarum deſtituti eſſe videantur, presbyterium de *Sambach* in vice parochiani preponimus, quatenus ab eo monitis ſalutaribus ac baptiſmi cura infirmorumque viſitatione & ceteris que ad hec reſpiciunt miſteria cura pervigili procurentur. Pro decimatione autem ejusdem villule ſingulis annis prefato presbyterio triginta ſolidos monete terre illius dare inſtituimus, quoad usque divina favente clementia novella plantatio creſcente fratrum numero corroboretur in Domino, & ſecularium negotiatorum decreſcente populo abbas loci ejusdem nullo deinceps egeat extrinſecus ſacerdotis miniſterio, ſicque demum ceſſante ſacerd. officio ceſſet etiam conſtitute pecunie conditio. Ut autem hec traditio ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc cartam conſcribi juſſi & ſigilli mei impreſſione corroboratam ſubtus firmari precepi. Si qua autem perſona, magna aut parva, contra hec venire, aut aliquid quod factum eſt permutare temptaverit, iram omni-

 poten-

Digitized by Google

potentis Dei, ſanctorum omnium incurrat & omnibus Chriſti fidelibus reſiſtentibus votum ſuum ad unguem non perducat, ac divini anathematis ultione damnetur. Teſtes hujus rei ſunt Burchardus Argentinenſis epiſcopus. Anſelmus Havelenbergenſis epiſcopus. Hartmannus ſancti Stephani prepoſitus. Heinricus cuſtos. Gerlacus prepoſitus.Godelſchalcus ſancte Marie in Campo prepoſitus. Wilhelmus magiſter ſcolarum. Gozbertus cantor. Gothebaldus Frizlarienſis prepoſitus. Arnoldus Aſchaffenburgenſis prepoſitus. Ludovicus prepoſitus de Mucheſtatt. Capellani: Giſelbertus. Conradus. Godefridus. Sigelo. Laici: Emmecho comes de Lininge. Damno. Chunradus comes. Bertholdus comes de Nithehe. Wiger. Godefrid. Udalricus de Horn. Anshelmus. Miniſteriales: Dudo. Meingoz. Ruthart. Erneſt. Helſrich. Facta ita eſt autem hec traditio anno Dominice incarnat. M. C. XLIIII. indictione VI regnante Chunrado Rom. rege hujus nominis ſecundo.

Num. XI.

Caroli VI. regis Franc. litteræ juſſoriæ, ut Henrico comiti Luce-ſtein. & uxori ejus Henrietæ Barrenſi terra S. Amandi reſtituatur, AN. MCCCLXXIII.

Ex autographo.

Charles par la grace de Dieu Roy de France Au Prevoſt d'Aucerre ou a ſon Lieutenant ſalut. De la partie de Henry Conte de Petite pierre & Henriete de Bar ſa femme nous a eſte expoſe que comme pour la ſomme de ſept vins ſept livres dix ſept ſouls Par. que aucuns nos officiers diſoient a nous eſtre deuz pour la tierce partie de IIII c. XLVIII livres onze ſoulz Par. reſtans a paier de plus grant ſomme de deniers en quoy feu Heratt de Bar lorsqu'il vivoit ayel de ladicte Conteſſe fu condempnez bien a quarante ans ou environ, toute la terre de Saint Amand en Puyſaie appartenant aux diz ſupplians, ait eſté japieca priſe & miſe en noſtre main par execution de lad. ſomme de VIIxx. VII Livres XVII.

XVII ſoulz Par. & par icelle execution feu des bien a deux ans ou environ la dicte terre, la quelle vault bien II^{c}· cinquante Livres de rente ou environ par an, miſe & expoſée en vente & criée & ſubhaſtée pour lad. ſomme de VII^{xx}·VII Livres XVII ſouls Par. par Jehan Denis noſtre ſergent commis a ce, pendant les quelles criées nous remeiſmes, donnaſmes & quittaſmes aud. ſuppliant lad. ſomme de VII^{xx}· VII Livres XVII ſouls Par. & mandaſmes par nos Lettres ſur ce faites que lad. execution & leſd. ventes criées & ſubhaſtations fuſſent deleſſées & miſes au neant, neantmoins ledit notre ſergent na voulu pour ce ſurſeoir ne luy deſiſter de faire ladite execution .. en faveur & au pourchaz de Eudes de Grancei ſeigneur de Louvois en qui ſervice ledit Sergent eſtoit, & auquel Eudes ledit ſergent diſoit ladite ſomme de VII^{xx}· VII Livres & XVII ſouls avoir eſte donnée par nous, & fu la dite terre des diz ſupplians miſe a pris par certaine perſonne de la miſſie du dit Sire de Louuois a ſon proufſit Jaſoit ceque ce fuſt en non d'autruy, & pour ce que les diz ſupplians ou leurs gens virent que il ne pouoient autrement joir dudit don que fait leur avons de la dite ſomme de deniers, & que par noſtre mandement ledit ſergent ne vouloit ſurſeoir ne lui deſiſter de la dite execution, & que les levées d'un an valoient bien ladite debte, il ſe oppoſerent, a quoy ledit ſergent pour la faveur deſſus dite ne les voult recevoir, mes qui plus eſt a touz jours procede a faire les dites criées & les prouffiz rentes & yſſues de la dite terre a levez pris & receuz ſouz umbre de la dite execution par leſpace de deux ans ou environ par lui ou ſes deputez, avec la peſche d'un eſtang appartenant aux dis ſupplians a cauſe de leur dite terre, & les deniers a detenu & encore detient ſens en acquitter les diz ſupplians, les quelx deniers levez & receuz de la dite terre & eſtang par ledit Sergent ou ſon commis montent a plus que ladite ſomme de VII^{xx}· VII Livres XVII ſouls, & non obſtant tout ce ſeſt efforciez & efforce de jour en jour de parfaire les dites criées, & donner le decret en faveur ou au pourchaz que

MDCCLXV.

deſſus pour desheriter les diz ſupplians de leur dite terre, qui ſeroit dure choſe que la dite terre qui vault plus par un ſeul an, que ne monte la dite ſomme de VII^{xx}· VII Livres XVII ſouls, fut ainſi vendue & alienée, mesmement que en la dite terre a de preſent haultes forez la tonſure des quelles vault plus aſſez que ne monte ladite debte . . Pourquoy nous attendu ceque dit eſt, Te mandons en commettant . . que ledit ſergent & tous autres qui de lever & recevoir les rentes & yſſues de la dite terre & dudite eſtang & du gouvernement dicelle terre ſe ſont entremis parmi noſtre dite main depuis ladite execution encommenciée, Tu contraingnes à rendre compte bon & loyal ſur ce, preſens a ce les diz ſupplians ou procureur pour eulx pour y debatre ceque de raiſon appartiendra, & que ledit ſergent & autres qui de ce ſe ſont entremis, tu contraingnes a rendre & paier les deniers & ceque receu en ont &c.

Donne a Paris le XXIX jour d'Auril l'an de grace mil CCC ſoixante & treze, & de noſtre regne le diſieme.

Num. XII.

Inſtrumentum pacis inter Henricum comitem Lucelſtein. & Eudonem de Grancejo Dynaſtam AN. MCCCLXXIX.

Ex autographo.

Je Eude de Grancey Signeur de Loupvois fais ſavoir à tous que comme mon tres cher & ame Couſin Monſ. Henri Conte de Petite pierre inclins & indignez contre moy pour & cauſe de certains deſcors debas & diſcencions eſtans pour le temps entre lui & moy, euſt pris arreſté empriſonné & detenu longuement en ſa priſon le corps de moy, enſemble aucuns de mes gens & de nos biens, de quoy moult de grans griez & dommages ſont venus & encorrus a moy & à mes dictes gens, que furent pris avec moy comme dit eſt & auſſi a pluſieurs de mes autres gens que eſtoient avec moy quant je fu pris, Et ſur iceulx deſcors debas & diſcencions mon dit Couſin & moy par bon conſeil & mehure deliberacion

Digitized by Google

cion de nos amis ſoiens venus & condeſcendus en bonne paix & bon accort finable. Parmi les quelx paix & accort mon dit couſin ait delivré abſoult & quitté de ſa dicte priſon le corps de moy & de mes dictes gens devant la date de ces preſentes plainement. De ce eſt il que je Eude de Grancey deſſus dit delivré abſoult & quitté de la dite priſon & de tous loiens de priſon quelconques eſtant en ma plainé poiſſance & franche volonté Recognois & confeſſe de ma propre volonte & de certaine ſcience ſans aucune force ou contrainte que je pour moy pour Dame Yolend de Bar ma femme & loial Eſpouſe pour tous mes enfans preſens & avenir pour tous mes hoirs pour mes dictes gens que furent pris avec moy pour toutes mes autres gens qui eſtoient avec moy quant je fu pris pour tous mes Signeurs mes parens & amis & pour tous autres quelconques qui en pourroient faire aucune demande ou pourſieute en temps advenir, de tous les quels je me ſais fort en ce fait, ai quittey & quitte plainement des maintenant a tous jours mais, le dit Conte de Petite pierre mon Couſin, ma trés chere & amée Couſine Dame Hanriette de Bar ſa femme & loial eſpouſe, tous leurs enfans preſens & advenir, tous leurs hoirs tous leurs ſigneurs, leurs parens & amis, tous leurs ſubgis toute leur terre, tous ceulx qui eſtoient avec ledit Conte mon Couſin quant je fu pris, toute la ville & tous les habitans de Girberviller, en laquelle ville de Girberv. je fu pris, enſemble tous ceulx & toutes celles a qui quittance peut & doit appartenir de moy & de mes dictes gens &c.

Encore eſt il aſſavoir que pour plus grant ſeurre a faire audit Conte a ſa dite femme a leurs dis enfans & a leurs dis hoirs de bien tenir gardes & accomplir toutes les choſes deſſus dictes & chaſcune delles, avons nous Eude de Grancey & Yolend ſa femme deſſus dis . . mis conſtitues & eſtablis, mettons conſtituons & eſtabliſſons tres haut & poiſſant Primpce notre tres redoubte ſigneur Monſ. Robert Duc de Bar Marchis du Pont & nos ames Couſins Monſ. Henri Signeur de Blammont Thiebaut de Blammont

ſon

MDCCLXV.

ſon frere, Monſ. Jehan Signeur de Ray, Monſ. Philibert Signeur de Beſſroimont, Monſ. Jehan de Beſſroimont ſon frere & Monſ. Jehan Signeur de Til tous enſemble & chaſcun pour le tout vrais plesges rendeurs & principals debteurs pour tenir garder & acomplir toutes les choſes deſſus dictes & chascune delles &c. Ce fu fait en l'an de l'incarnation notre Seigneur mil trois cens ſoixante dix neuf le dernier jour du moix de Mars.

Num. XIII.

Inſtrumentum pacis inter Henricum comitem Lucelſtein. & Civitatem Sarburgenſem MCCCLXXXI.

Ex autographo.

Je Henry Conte de Petite pierre pour moy & tous mes hoirs & aiant cauſe d'un part. Et nous le Prevoſt le Conſeil, tous les Bourgois & habitans faiſans la communaltei de la ville de Sarbourg, pour nous & tous nos hoirs & ſucceſſeurs en la dicte communaltei d'altre part, faiſons ſcavoir a tous, Que comme deſcord fuit ou pehut eſtre entre nous les parties deſſus dictes .... Henry Conte deſſus dit faiſoit ou peoie faire aux dis de Sarbourg demande & pourſuite de cequil ont abatu deſtruit & mis à ruine leugliſe, le clauſtre, les edifices & appartenances de l'Abbaiie du Viuiers, que eſtoit aſſiſe deſſvers & prés de la dicte ville de Sarbourg, la quelle Abbaiie enſemble ſes dictes appartenances eſtoit en ma garde temporelment, ſe en demandeir ou peoit demandeir & pourſuivre les dis de Sarbourg pour & à cauſe de ma dicte garde temporel que je tenoie de part Reverend Peire en Deu & Signeur Monſ. leveſque de Mets de qui j'ay la cauſe & du quel je me faix fort en ce fait. Item ſur ceque je Henry Conte deſſus dict faiſoit ou peoit faire aux dis de Sarbourg demande et pourſuite du Chaſtel de Sarbourg quil ont abaitu deſtruict et mis a ruinne. lequel Chaſtel eſtoit et appartenoit a moy de part mon dit Signeur leveſque de Metz de qui j'ay la cauſe et duquel je me faix fort en ce fait. Item ſur ceque je Henry

Con-

Conte deſſus dit faiſoie ou peoie faire aux dis de Sarbourg demande & pourſuite du damaige quil m'ont fait tant par arſure comme altrement, en ma fort maiſon de Sairelz, en ma grainge prés de ma dicte maiſon & en leur appartenances. Et en ſemblant maniere ſur ceque nous les dis de Sarbourg reſponduens ou poiiens reſpondre dire allegueir ou propoſeir contre ledit Monſ. le Conte pluſeurs bonnes cauſes & raiſons de droit & de fait par quoy nous deuiiens ou poiiens faire raiſonnablement tout ceque fait auons en la dicte Abbaiie du Viviers, en dit Chaſtel de Sarbourg, en la dicte fort maiſon & grainge de Sairelz & en leur dictes appartenances. Et auſſi ſur toutes demandes & pourſuites que nous pour & en nom de notre dicte Communaltei faiſuens ou poiiens faire audit Monſ. le Conte touchant les choſes deſſus dictes & altrement dehuement & raiſonnablement. De ce eſt il que nous les dictes parties pour mettre & venir ledit deſcord enſemble toutes ſes dependences a un accord finauble avons esleu nommei & enchergiei,et par la teneur de ces preſentes eslisons nommons & enchergeons par commun asſentement quaitre amis comme arbitres ou amiaubles compoſiteurs & appaiſenteurs, c'eſt aſſavoir pour la partie de moy Henry Conte deſſus dit Monſ. Henry de Morhenges Chevalier & Egloffe de Lutzelnburch Prevoſt de Saverne Eſcuier. Et pour la partie de nous les dis de Sarbourg Monſ. Ferry de Zierls & Monſ. Jehan de Beneſtorf Chevaliers . . . . . Et ſe par les quaitre arbitres desſus dits concordaublement enſemble ou par ceulx qui ſeroient mis en leu des defaillans . . neſtoit terminei & portei ſvers ce preſent compromis ou arbitraige dedens le jour tout le jour de la Chandeleur ſelont la poiſſence & auctorité a eulx donnée comme dit eſt, yceulx arbitres concordaublement . . relateront & metteront tout ce de quoy il aueront deſcord es choſes deſſus dictes en la main de halt & poiſſent Prince Monſ. Jehan Duc de Loherenne & Marchis ſeul & pour le tout . . . Je Henry Conte deſſus dit par ma foy ſur ce corporelment donnée en leu de ſacrement ſub ma nobleſſe & ſub mon honeur & avec ce ſub l'obligation de

I tous

Digitized by Google

MDCCLXV.

tous mes biens mobles & non mobles preſens & advenir. Et nous les dis de Sarbourg par lez fois de nos corps ſur ce corporelment données en leu de Sacrement & ſub peine d'eſtre appellez maluaix faulx . . & infames deuant tous Signeurs en toutes cours & bonnes villes . . . Et en ſigne de veritei auons nous les parties deſſus dictes, et nous Jehan Duc de Loherenne & March. deſſus dit fait mettre nos ſeels pendens en ces preſentes, que furent faites en l'an de l'incarnátion Notre Signeur Mil Troiscent Quatre vingt & ung le Juedy aprés feſte Touſſaincts.

Num. XIIII.

Emechonis comitis Silveſtris filii, Gerhardus, Cunradus & Godefridus dictus Raub, fratribus de Lacu domus ordinis militiæ Templi hereditatem ſuam paternam in Gernsheim & Kirchheim domo conferunt AN. MCCLXXXIII.

Ex autographo.

Nos Gerhardus Cunradus & Godefridus dictus Raub, fratres filii quondam nobilis viri Domini Emechonis comitis Silveſtris ad univerſorum notitiam pervenire volumus tenore preſencium publice profitentes, quod nos unanimi cum conſenſu omne jus quod habuimus in univerſis bonis noſtris ex hereditate paterna ad nos devolutis in territoriis villarum *Gernsheim* & *Kirchheim* ſitis Wormat. dyoceſ. contulimus & libere donavimus Religioſis viris fratribus de Lacu domus ordinis milicie Templi Wormat. dyoc. Ita quod dicti fratres jure proprietario quo nos hactenus poſſedimus dicta bona in perpetuum poſſideant pacifice & quiete. In cujus rei robur & teſtimonium perpetuo valiturum ſepe dictis fratribus preſentes literas tradidimus ſigillorum noſtrorum munimine roboratas. Act. & dat. anno Dni M.CC.LXXX. tertio in vigilia Penthecoſtes.

Num. XV.

Digitized by Google

MDCCLXV.

Num. XV.

Godefridus comes Silveſter, Cunradus filius ejus & Hildegardis, Cunradi uxor, conſanguineo ſuo Friderico, domorum militiæ Templi per Alemanniam & Slaviam præceptori univerſa bona ſua in Kirchheim & Gernisheim vendunt AN. MCCLXXXII.

Nos Godefridus comes Silveſter, Conradus filius ſuus & Hildegardis uxor mei Cunradi legitima tenore preſencium recognoſcimus & publice profitemur, nos de voluntate unanimi ac pari conſenſu religioſis viris, fratri Friderico dicto Silveſtri noſtro conſanguineo domorum milicie templi per Alemanniam & Slaviam preceptori venerabili ac ſuis fratribus profeſſionis ejusdem univerſa bona noſtra in terminis villarum *Kirchheim* & *Gernisheim* Wormat. dyoc. ſita, videlicet agros, vineas, prata, cenſus & redditus, quæ fratres ejusdem militie domus de Lacu, que domus vulgariter dicitur *der She*, a nobis pro penſione annua hactenus tenuerunt, pro centum & viginti libris Hallenſ. numerate pecunie juſte venditionis titulo vendidiſſe, ab ipſo preceptore ac ejus ſucceſſoribus & fratribus predicte domus de Lacu jure proprietatis perpetuo poſſidenda perpetualiter & tenenda, nichil nobis & noſtris ſucceſſoribus univerſis juris facti ac conſuetudinis in bonis prelibatis reſervantes, ac hiis preſentibus plane renunciantes omni actioni, impetitioni, inquietationi, literis impetratis ſeu impetrandis quibuscunque & ſpecialiter reſtitutionis beneficio in integrum ac generaliter omni exceptioni ſeu defenſioni juris canonici ac civilis, quibus mediantibus nos ſimul vel diviſim in contrarium vendicionis bonorum predictorum poſſemus nunc vel in poſterum aliquod attemptare, & ut ipſos . . . preceptorem & fratres ſuper impetitione dictorum bonorum omnino reddamus indempnes, pro juſta Guarandia que vulgariter dicitur rechte Wereſchaft, ipſis fidejuſſores in ſolidum dedimus ſubnotatos Emerchonem ſeniorem de Lewenſthein, Emerchonem & Wilhelmum fratres de Randeken, ac Wolframum juniorem de Lewenſthein mi-

Ex autographo.

lites, qui ſi dicti preceptor ſeu fratres infra tempus legitimum juſte Gwarandie in dictis bonis, per nos vel ex parte noſtri inquietati, impediti fuerint, vel turbati, moniti commeſſationes fidejuſſorias apud *Rockenhuſen* in uno hoſpicio, in dampnum mei Cunradi & mee legitime predictorum, tamdiu facient & expendent, quousque prefatis preceptori & fratribus de dampno & intereſſe impetitionis dictorum bonorum plene fuerit ſatisfactum. Si quis autem fidejuſſorum commeſſationibus fidejuſſoriis hujusmodi non potuerit intereſſe, ſervum & equum pro ſe locabit, ac uno fidejuſſore decedente, loco decedentis eque ydoneus ſub monitione fidejuſſoria ſubrogetur.

Teſtes hujus venditionis ſunt viri ſtrenui ac diſcreti, frater Bezzelinus ordinis hoſpitalis Jeroſolimitani ſancti Johannis. Arnoldus plebanus de Thran. Nycolaus & Hugo advocati de Hunolſthein & Johannes dictus Boch milites ac plures alii fide digni. In cujus rei teſtimonium ac omnium premiſſorum robur perpetuo duraturum ego Cunradus predictus, quia Godefredus pater meus ſigillum non habet, preſens ſcriptum ſigillis mei Cunradi & mee legitime Hilthegardis prenotate, fidejuſſorum ac teſtium predictorum ſigilla habentium dedi dictis preceptori & fratribus fideliter communitum. Et nos G. comes predictus in ſigillum Cunradi filii noſtri ſepe dicti preſentibus conſentimus. Nos autem fidejuſſores prenotati ſub ſigillo Emerchonis de Leweſthein ſenioris predicti omnia prenarrata confitemur eſſe vera & debere inviolabiliter obſervari. Dat. anno Dni M.CC.XCII. craſtino beati Syxti.

Appendent ſigilla ſex.

Num. XVI.

Digitized by Google

Num. XVI.

Inſtrumentum ſocietatis caſtrenſis in Luterecke initæ ab Henrico & Friderico Veldentiae comitibus, cum Ottone comite Silveſtri An. mccclxxxiv.

Wir Heinrich vnd Friederich Gebrüder Grauen zu Veldenze bekennen vns offenlichen an dieſem briefe, daz Wir ſamentlichen gegeben han, vnd geben dem Edeln vnſerme lieben Swager, Grauen Otten, Wildgrauen zu Kirberg, ſine lebe tage vnd nit lengir ein viertel zu Luterecke an vnſere Burge vnd Stat mit wegin, Brucken und Stegin, uſsgenomen vnſere Rente, Gulte Beden, Arme lute vnd allez zugehores daz darzu gehorig iſt, daz vns vnd vnſer erben Grauen zu Veldenze ſin ſoll vnd vns verlieben, vnd mag der egenant vnſer Swager mit demſelben Luterecke Burge und Stetde, wegin, Brucken und Stegen, mit ſime teile ſich behelfin daruſs vnd darin, zu allen ſinen noden vnd willen, als mit andern ſinen Veſtin, er vnd alle ſine diener, die er von ſinen wegen darſendit, vnd daz in angeet, vſsgenommen der Herren der Manne wir ſin vnd auch vnſere Burgmanne, den mit Rechte für vns begnüget vmb ſoliche ſache als er mit in zu ſchaffin hetde, wer ez aber daz ſie in widder reht criegen, vnd wir vnrehten wolten, ſo mag er ſich zu ſtunt vſs dem egenanten Sloſse Luterecke vnd wider darin zu ſime teile behelfen, zu allen ſinen noden als vſser andern ſinen eigen Sloſsin. als lange biſs daz ſie yme des Rechten für vns gehorſam ſin wollint vnd ſint, als dicke des not geſchiht ane Geuerde, auch ſo en ſol er nieman daſelbis in deheine wiſe enthalten. Auch ſollen wir einen Burgfrieden mit eingloben zu halten daſelbs zu Luterecke als ferre ein gut gurtel armbruſt von der Ring muren der egen. Veſtin vnd Stetde Luterecke vmb vnd vmb geſchieſen mag vnd den halten als burgfrieden reht vnd gewonheit iſt, ane Geuerde. Auch ſollent vnſerme Swager vorgenant vnſere Amptlute der egen. Veſtin Luterecke vnd Stetde, mit namen Schultheiſse, Burggrauen

Ex autographo.

uen, Kelner, Thornknechte, Portener vnd Wechter, di izunt da ſint oder hernach darkoment, oder geſezit werdent, als dicke ſie ernuwet oder gewandelt werdent, globen vnd hulden, in vnd ſine helfer vnd diener, die er von ſinerwegin darſchicket, in vnd vſs zu laſsin, in vorgeſcribin maſsin als dicke das not geſchiht. Auch wollen wir daz dem egen: vnſerme Swager alle Zyt redelich feile Kauf vmb ſine pheninge in dem egenanten Sloſſe Luterecke vnd Stetde zu ſinen noden gegeben werde, vſsgenommen alle Geuerde, vnd in dieſem vorgeſhribnen teile, globen wir den egenanten vnſern Swager den Wildgrauen niemer zu irren noch zu hindern in deheine wiſe, vnd wann vnſer Swager egen: nit iſt vnd von dodis wegin verfaren iſt, des in Got lange friſte, ſo ſol daz vorgeſchrieben teil der egen: Burge und Stetde Luterecke, ledig vnd los wider an vns vnd an vnſere erben, Grauen zu Veldenze verfallen ſin ane alle gelt, wan daz uns nit ſteet, vnd er vns nuſt nit darvf geluhen hat. Vnd ſollent deheine ſine erben ſich keines rehten darzu vermeſsin noch zu haben vſsgenomen alle Argeliſte und Geuerde. Vnd des zu vrkunde ſo han wir Heinrich vnd Friederich Grauen zu Veldenze vorgen: vnſere Inges. ſementlichen an dieſen brief gehangen. Datum Anno Dni Milleſimo trecenteſimo LXXXquarto ipſo die animarum.

Num. XVII.

Ludovicus IV. imp. comiti Silveſtri Johanni de Dun poteſtatem confert reluendi parochias Deynsberg & Rychenbach, pignora imperii AN. MCCCXLVI.

Ex autographo.

Wir Ludewig von Gotes Gnaden Romiſcher Keyſer zu allen Ziten Merer des Richs. Tun kund offenbar an dieſem Brief. daz Wir dem Edeln Manne Wildgraf Johann von Dun vnſerm lieben getruwen geheizzen und erlaubt haben. daz er die pfandung Deynsberg, Rychenbach, die Kyrſpelle, andriw gut und waz darzu gehort, ledigen vnd erloſen ſol. von den Edeln Mannen, Geor-

Digitized by Google

Georgien, vnd Heinrich ſinem Sun, Grafen zu Veldenz. vmb ſolich Gelt, als ſie in von vns vnd dem Riche noch ir Brief ſag in pfandes weiz ſtand. vnd wolln auch daz ſi im der loſung gehorſam ſin bei vnſern vnd des Riches hulden. Mit vrchund ditz briefs. Gebn ze Heidelberg an Montag vor Valentini. In dem zwai vnd drezzigeſtim jar vnſers Richs. in dem nundzehenden dez Keyſertumes.

Num. XVIII.

Rudolfus I. imp. oppido ſuo Lutren civitatis Spirenſis jura & privilegia concedit AN. MCCLXXVI.

Rudolfus Dei gracia Romanorum rex ſemper auguſtus univerſis imperii Romani fidelibus preſentes literas inſpecturis in perpetuum. Dignum judicat noſtra ſerenitas ut ſubjectorum fidelium commodis tanto gracioſius intendamus quanto idem imperio & nobis imperii curam gerentibus per devota fidelitatis obſequia fidelius conjunguntur. Cum enim ſubjectorum commodum & commoditatis augmentum noſtra procurat ſerenitas, dilatationem honoris regii & dignitatis imperii promovemus. Quapropter noſcere volumus univerſos tam poſteros quam preſentes, quod nos opidum noſtrum *Lutren* ac cives noſtros inibi commorantes amplexantes ulnis gracie ac beneficencie ſpecialis omnibus privilegiis libertatibus & juribus quibus civitas Spirenſis a divis imperatoribus & regibus noſtris predeceſſoribus noſcitur eſſe dotata, predictos opidum & cives de benignitate regia in perpetuum duximus libertandos. In cujus libertationis robur & perhennem memoriam preſens ſcriptum exinde conſcribi & majeſtatis noſtre ſigillo juſſimus communiri. Datum Wormacie XV Kal. Septembris indictione quarta Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo ſexto regni vero noſtri anno tercio.

Ex autographo.

Num. XIX.

Num. XIX.

Donatio nemoris civibus in Lutra ab Alberto I. imp. facta AN. MCCCIII.

Ex autographo.

Albertus Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, prudentibus viris, magiſtris civium, conſulibus & civibus in Lutra fidelibus ſuis dilectis gratiam ſuam & omne bonum. De fidei veſtre conſtantia, qua erga nos & imperium clarere noſcimini ac de induſtria qua polletis non modicum preſumentes, nemus infra ſcriptum dictum *Spitzrein*, ſicut via ducit de *Lutra* verſus *Aſpach in der Wegnerthal* (*p*) directe usque ad locum qui dicitur *Luterſpring*, Item de *Luterſpring* usque in *Nenterswiler*, Item de *Nenterswiler* directe per viam usque *Bremereyn*, de benignitate regia ac benevolentia ad veſtros uſus & utilitatem veſtram vobis tradimus & donamus, fidelitati veſtre confidentes, quatenus per idem nemus ad dictos terminos, angulos ſive methas debeatis in ſtructuris ac quovis alio modo fructuoſe augmentari veſterque fructus exinde multipliciter procuretur. In cujus rei teſtimonium hanc literam exinde conſcribi & Majeſtatis noſtre ſigillo juſſimus communiri. Datum Spire III Non. Februarii Anno Domini milleſimo trecenteſimo tertio Indictione prima Regni noſtri anno quinto.

Num. XX.

Ludovicus IV. imp. civitati ſuæ in Lutra jus ungelti concedit ad munitionem oppidi AN. MCCCXXII.

Ex autographo.

Nos Ludovicus Dei gracia Romanorum rex ſemper auguſtus ad univerſorum ſacri Romani imperii noticiam volumus pervenire .. Nos ad requiſitiones ſupplices prudentum virorum civium in *Lutra* fidelium noſtrorum dilectorum, & benignitate regia admiſſe, ut

(*p*) Hod. *Weynerthal.*

ut *Vngeltum* juxta conſilium conſulum ipſius civitatis imponere & colligere poſſint ſuper omnia & ſingula, hoc eſt in vino, blado, in pannis de lana & in animalibus, ſeu aliis quibuscunque, prout ipſis viſum fuerit expedire. Et collecta per ipſos conſules converti debent ad munitionem ipſius civitatis, in muris & foſſatis, prout neceſſitas hoc expoſcat . . Et quicunque predictis conſulibus in hiis contrarii exiſterent ſeu hiis ſe opponerent nec voluntarii obedirent, indignacionem noſtram & temeritatis correctionem noverint ſe paſſuros . . . Volumus eciam graciam pretactam noſtre revocacionis arbitrio reſervare. Profitemur eciam, quod nullum, cujuscunque ſtatus ac condicionis exiſtat, de dicto vngelto infeodabimus nec alicui obligabimus aut donabimus in parte aliqua vel in toto. In cujus rei teſtimonium preſentes literas conſcribi & noſtre majeſtatis ſigillo juſſimus communiri. Datum in Nürnberch idus Aprilis anno Dni M. CCC. XXIII, regni vero noſtri anno nono.

Num. XXI.

Ludovici Bavari imp. privilegium, de via publica & vectigali oppidi Lutrenſis AN. MCCCXXXII.

Ludovicus Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus, prudentibus viris magiſtro & conſulibus in Lutra fidelibus ſuis dilectis gratiam ſuam & omne bonum. Cum ſtrata & via imperatoria per oppidum veſtrum *Lutren* & non extrinſecus preteritis temporibus frequentata fuit & vadata, volentes dictum oppidum in eodem modo frequentandi & vadandi ut antea conſervare, vobis & qui pro tempore fuerint, magiſtro & conſulibus precipimus & mandamus, quatenus pretereuntes quoslibet in carrucis vel in equis per idem oppidum & non aliunde viam & tranſitum facere jubeatis, ad hoc eos etiam cohercendo, nec contra hoc ſculteti civitatis vel alterius licentia

MDCCLXV.

volumus adjuvari, harum teſtimonio literarum. Datum Franckfurt ſeptimo Kalend. menſis Februarii anno Domini milleſimo treceнteſimo triceſimo ſecundo, regni noſtri anno decimo octavo, imperii vero quinto.

Num. XXII.

Diploma Wenceslai regis Rom. quo Rupertum II Palatinum pignorum imperii, Oppenheim, Ingelheim, Nerſtein, Winterheim, Swabsburg, Odernheim & Keiſerslutren participem reddit AN. MCCCLXXVIII.

Ex autographo.

Wir Wenzlaw von Gotes gnaden Romiſcher Kunyg . . . . bekennen und dun kunt offenlich mit dieſem brieffe alle den die yn ſehent oder horent leſen, als wir vormals den hochgebornen Ruprechte dem eltern Pfaltzgrave bi Rine, des heiligen Rychs Obirſten Truchsfeſſen u. Hertzugen in Beyeren unſerm lieben Swager u. Furſten u. dem hochgebornen Hertzuge Ruprechten dem Jungſten Hertzoge Adolffs ſeligen ſins bruder Enkeln ir beider lebetage ingegeben u. bepholen haben unſere und des Richs Veſten, Stete u. dorffer *Oppenheim, Ingelnh. Nerſtein, Winterheim, Swabsburg* die Burg u. *Odernheim* mit allen andern dorfferen, Zollen u. geriechten u. was darzu gehoret, und darzu unſer u. des Richs Burg u. Stat *Keiſerslutern* mit ſinen zugehorungen, als daſz alles clerlich begriffen iſt in unſern Kunyglichen brieffen, die wir yn dar ubir geben haben. Wan nu der hochgeborn Ruprecht der Jünger Pfalzgraue bi Rine u. Herzuge in Beyeren des obgenanten Hertzouge Ruprechts des Jungeſten Vatter uns und dem Riche nütze dienſte offte getan hat u. noch dun mag u. ſol in künfftigen Züten, davon haben wir mit wolbedachtem mute . . . demſelben Hertzuge Ruprechte dem Jüngern die obgenante Veſte Stete u. dorffere *Oppenheim*, *Ingelnheim* u. *Ingelnheim, Nerſtein*, *Winterheim*, *Swabsberg*, *Odernheim* und *Keiſerslutern* mit landen und luten, mannen, manſchafften, Burgmannen, Burgmanſchefften mit allen czollen, geriechten, Herſchefften u. allen Zuge-

Zugehorungen nichts usgenomen von nuwens yn geben u. befolen, mit der beſcheidenheit, ob daz wer daz derſelbe Hertzoge Ruprecht der Jünger den obgen. Hertzogen Ruprechte den eltern uberlebete, daz dan derſelbe Herz. Ruprecht der Jünger die obgen. unſere u. des Richs veſten Stete u. dorffere mit allen iren Zugehorungen ynne haben nuzen u. nieſſen ſol und mag . . . . Darumb gebieten wir allen u. yglichen Burgmannen, Mannen, Amptluten, Rittern, Knechten, Lantſeſſen, Burgermeiſtern, Retten, Burgern u. Inwonern der egenanten Veſten, Stete und dorffere, daz ſie dem egen. Herzuge Ruprechte dem Jungern ſweren hulden und gehorſam ſin ſollen zu ſinen lebetagen . . in aller der maſſen als ſie dem obgen. Herzoge Ruprechte dem eltern u. Ruprechte dem Jungeſten vormals gehuldet u. geſworen haben &c.

Geben zu Nuremberg nach Gotes geburte drutzehenhundert jare, darnach in dem acht u. ſiebentzigeſten jare an ſanct Laurencien tage, unſerer Riche des Behemiſchen in dem ſechzehenden u. des Romiſchen in dem dritten jare.

Laudavimus ſupra (*q*) ad unam eandemque academiæ quæſtionem commentationes præſtantiores duas, quæ pari cohoneſtatæ ſunt præmio. Animus erat utramque publici facere juris, alteram quod purioribus diplomatum fontibus veriſſime, alteram quod ex probatis veterum ſcriptorum annalibus elegantiſſime idem argumentum ita expoſuiſſet, ut opportune omnino ambæ juxta ſe poni ſtareque poſſe viderentur. Accidit autem præter expectationem noſtram, ut prioris auctor, accepto præmio, opus ſuum retractatius ad academiam miſerit, quo denuo cum poſteriore pari pondere examinato, gravius longe inventum eſt, ut utrumque publicari utile amplius fore ſocietas, quæ de utili tantum cogitat, non judicaverit.

Diſſertatio victrix.

K 2 COM-

(*q*) Pag. 14.

Digitized by Google

COMMENTATIO

Ad quæſtionem academicam

De origine comitis Palatini ſub Rom. imp. ejusque indole ſub Merovingis & Carolingis Franciae regibus usque ad diviſionem regni in orientale & occidentale &c.

VICTRIX

JO. DANIELIS REISEISSENII.

ILLUSTRE fuit a prima ſua origine comitum Palatii officium, nec magis tamen, quam cetera omnia Francici imperii officia, hereditarium. Sub Saxonicis demum imperatoribus cum territorio Rhenenſi hereditario jure conjunctum, Palatinatui ad Rhenum dedit originem, qui poſt varias mutationes ad Wittelsbacenſem ſereniſſimam gentem translatus, ad eam denique, qua hodie ſplendet, fortunam adſcendit.

SECTIO I.

An comitis Palatini origo apud Romanos quærenda ſit?

Comitum origo.

Comites Romanis auctoribus proprie vocantur ſocii vel miniſtri. Hinc qui conſules, proconſules atque prætores in provincias comitabantur, eorumque in negotiis publicis obeundis ſocii vel miniſtri erant, comites dicti ſunt. In Verrem Siciliæ prætorem Cicero (*a*) his verbis invehitur: „Cum ob tua decreta, ob imperata, „ ob judicata pecuniæ dabantur, non erat quærendum, cujus manu „ numerarentur, ſed cujus injuria cogerentur. *Comites* tui dilecti „ manus erant tuæ.„ Volcatius eques Romanus Verris *comes* ab eodem Cicerone (*b*) vocatur. In Legibus (*c*) „ Senatus conſulto „ cave-

(*a*) *Act. in Verrem* Lib. II, cap. 10.

(*b*) l. c. cap. 22.

(*c*) Lib. 16. D, *de officio Præſidis.*

Digitized by Google

„ cavetur, ut de his, quæ provincias regentes, comites aut li-
„ bertini eorum, antequam in provincias venerint, contraxerunt,
„ parciſſime jus dicatur.„

Ab Auguſto ad Conſtantinum, qui principis lateri adhærebant, ſive in bellum iret, ſive domi eſſet, comites vocantur. *Tiberius* in Germaniam iturus comites legit (*d*). *Otho* multos e magiſtratibus, magnam conſularium partem, non participes aut miniſtros bello, ſed comitum ſpecie ſecum expedire juſſit (*e*). *Hadrianus* cum judicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos aut comites ſolum, ſed jure conſultos (*f*). *Verus* confecto bello Parthico regna regibus, provincias vero comitibus ſuis regendas dedit (*g*).

Dignitate comites in tres claſſes vel ordines diviſi fuerunt. **Claſſes tres.** Conſtantino M. hoc inſtitutum multi tribuunt. En verba Euſebii, (*h*) quibus eorum ſententia nititur: „ Comites vero alii primi
„ ordinis fiebant, alii ſecundi ordinis, alii tertii. Porro perfe-
„ ctiſſimatu & aliis plurimis ejusmodi dignitatum titulis innume-
„ rabiles alii donabantur. Namque imperator quo plures honore
„ afficeret, varias dignitates excogitaverat.„ Verum hæc quidem probant, Conſtantinum multis aliis dignitatem & privilegia comitum tribuiſſe, inde tamen non ſequitur, eum tres comitum ordines primum feciſſe, cujus ſane diviſionis ſub Tiberio (*i*) jam veſtigia occurrunt. In inſcriptione apud H. Valeſium (*k*) M. Nummius Albinus, quem ſub Gallieno conſulem fuiſſe Faſti Conſulares docent, *comes* domeſticus *ordinis primi* vocatur:

(*d*) *Tacitus Annal.* Lib. I, cap. 47.

(*e*) Idem *Hiſt.* L. I, cap. 85.

(*f*) *Spartianus* in *vita Hadriani* cap. 18.

(*g*) *Capitolinus* in *vita Veri* cap. 7.

(*h*) *De vita Conſtantini* L. IV, c. I.

(*i*) Apud *Suetonium* in *vita* ejus cap. 46.

(*k*) In notis ad *Euſebii vitam Conſtantini* L. IV, cap. I.

Digitized by Google

M. NVMMIO ALBINO V. C.
QVÆSTORI CANDIDATO PRÆTORI VRBANO
COMITI DOMESTICO ORD. PRIMI ET CONSVLI ORD. ITERVM.

Ex quo tempore comitiva dignitas evaſit, dignitatem hanc omnibus magiſtratibus & præfectis conceſſam legimus. Præſides provinciæ, ſecundi ordinis comites, ad primi ordinis comitivam vocabantur. Ita Leges (*l*): „ Eos qui adminiſtratione civili ac „ provinciæ gubernaculis, ſub jurisdictionis licentia, comites „ quoque primi ordinis eſſe meruerint, vicariæ dignitatis poſt „ depoſitam adminiſtrationem privilegiis frui oportet. „ In formula comitivæ primi ordinis apud Caſſiodorum (*m*) hæc verba extant: „ Hic enim honor (comitiva primi ordinis) nimium la„ borantibus antiqua noſcitur proviſione collatus, ut rectores „ provinciarum anni actione laudatos vix ad tale culmen addu„ cerent: „ Idem de rectoribus civitatum dicendum videtur, quos ſecundi ordinis comitivam habuiſſe, formula comitivæ, quam idem Caſſiodorus (*n*) exhibet, nobis perſuadet: „ Propte„ rea per indictionem in illa civitate comitivæ honorem ſecundi „ ordinis tibi largimur, ut cives commiſſos æquitate regas.

Magiſtratus palatini, & qui cum imperio civili vel militari pluribus provinciis præpoſiti erant, ex primo comitum ordine mittebantur, unde multi ex illo officiorum vel provinciarum, quibus præerant, comites dicti ſunt. Ex palatinis comites S. largitionum & rerum privatarum, ex militaribus comitem Argentoratenſem (*o*), cui ſuperioris Rheni cuſtodia commiſſa fuit, nominamus.

(*l*) L. unic. Cod. Juſt. *de Comitibus qui provincias regunt*, Lib. XII, tit. 14.

(*m*) *Variorum* Lib. VI, cap. 12.

(*n*) Ibid. L. VII, cap. 27.

(*o*) Vid. *Notitia utriusque imperii* ex editione Panciroli pag. 115. Comites militares iſti ipſis Ducibus præponuntur.

Digitized by Google

mus. Carietto per utramque Germaniam comes apud Ammianum Marcellinum (*p*) occurrit. Inter civiles præfecti prætorio eminent, qui omnes reliquos dignitate ſuperabant.

Comitibus primi ordinis jus erat, ſi præſentes eſſent, conſiſtorium Principis ingrediendi. Teſtis eſt formula comitivæ (*q*), his verbis: „ Comitivam tibi primi ordinis... largimur, ut conſi„ ſtorium noſtrum, ſicut rogatus ingrederis, ita moribus laudatus „ exornes. „ Ex his alii Principi intra conſiſtorium a ſecretis conſiliis erant, quales fuerunt magiſtratus majores, palatini, & provinciales, ſi vocarentur, qui omnes *comites ordinis primi intra conſiſtorium* dicuntur. In lapide, quem Gruterus (*r*) exhibet, Saturninus Secundus *comes ordinis primi intra conſiſtorium* & quæſtor appellatur. Alii poſt approbatos labores dignitate comitivæ in palatio fruebantur, qui *comites ordinis primi intra palatium* audiunt. Romæ poſita ſtatua fuit (*s*) Jura.

L. ARADIO VAL. PROCVLO V. C. &C.
PERFVNCTO OFFICIO PRÆFECTVRÆ PRÆTORIO
COMITI ITERVM ORDINIS PRIMI INTRA PALATIVM.

Comitis tamen palatini nomen, eo ſenſu, quo ſub Francis certum aliquod officium denotavit, Romanis fuit incognitum. Habetur quidem in codice Juſtinianeo titulus (*t*): *De officio comitis ſacri palatii*; verum cum in Notitia utriusque imperii nulla comitis palatii mentio occurrat, legesque huic titulo ſubjectæ ad offi- Comes Palat. nullus.

(*p*) L. XXVII, cap I.

(*q*) Apud *Caſſiodorum Varior.* L. VI, cap. 12.

(*r*) In *Corpore Inſcript.* p. 465, n. 8.

(*s*) Ibidem p. 361, n. 1.

(*t*) Lib. I. tit. 34.

officium comitis rerum privatarum pertineant, & ipſa inſuper hæc inſcriptio in multis manuſcriptis deſit (*u*), argumentum, quod ex eo ducunt, invalidum eſt.

Simile præfecti præt. officium.

Comites palatini ſub Francis de appellationibus a provincialium judicum ſententiis vice ſacra judicabant. Idem officium præfectis prætorio ſub Romanis aliquando commiſſum fuit. Præfecti prætorio ab Auguſto inſtituti ſunt, ut cohortibus palatinis, aliisque per Italiam militibus præeſſent (*x*). Sub ſequentibus imperatoribus totius exercitus curam, tandemque judicia & appellationes ſibi vindicarunt. Primus M. Antoninus (*y*) „Præfectos ſe-„ cum habuit, ex quorum auctoritate & periculo jura dictabat, „ uſus autem eſt præcipue Scævola jurisperito. „ Commodus omnem imperii curam Perenni præfecto prætorio reliquit. „ Poſt-„ hæc Commodus nunquam facile in publicum proceſſit, neque „ quicquam ſibi nuntiari paſſus eſt, niſi quod Perennis ante tra-„ ctaſſet. Perennis autem Commodi perſciens, invenit quemad-„ modum ipſe potens eſſet, nam perſuaſit Commodo, ut ipſe de-„ liciis vacaret, idem vero Perennis curis incumberet, quod ipſe „ lætanter accepit (*z*)„

Sub Commodo itaque, hujusque ſucceſſoribus præfectorum prætorio poteſtas ad civilia negotia extenſa videtur; unde factum, ut dignitas ſæpius iſta juris conſultis deferretur. Papiniani juris conſulti, qui ſub Severo præfecturam geſſit, in ipſis legibus men-

(*u*) In *Corp. Juris Gloſs.* edit. Lugd. a. 1575 ad marginem hujus tituli, qui ibi eſt trigeſimus ſeptimus, hæc verba addita ſunt: *deeſt haec rubrica in manuſcr.*.

(*x*) *Dio Caſſius* Lib. VII, p. 480. lit. B, & Lib. V, p. 555, lit. A, edit. Leunclav.

(*y*) *Capitol.* in *vita* ejus cap. XI.

(*z*) Ita *Lamprid.* in *vita Commodi* cap. V.

Digitized by Google

mentio occurrit. „ Lecta eſt, inquit Paulus (*a*), in auditorio „ Æmilii Papiniani præfecti prætorio juris conſulti cautio hujus-„ modi &c. „ Paulum & Ulpianum, qui Papiniano a conſiliis fuerant, ipſos deinde præfectos factos eſſe, Spartianus (*b*) refert.

Conſtantinus M. (*c*) ut præfectorum prætorio poteſtatem minueret, translata ad magiſtros militum militari diſciplina, civile eorum imperium in partes diviſit, & cum duo olim plerumque eſſent, ipſe quatuor inſtituit, Orientis, Illyrici, Italiæ & Galliarum. Idem tamen imperator provocationem ab eorum ſententiis vetuit, ad univerſos ſcribens provinciales (*d*): „ Se a præfectis „ prætorio, qui ſoli vice ſacra cognoſcere vere dicendi ſunt, pro-„ vocari non ſinere, ne ſua contingi veneratio videatur. „ Ab eo itaque tempore præfecti prætorio ſummi in ſuis tractibus magiſtratus civiles erant, qui cauſas, per provocationem partium a præſide vel quolibet judice ordinario ad tribunal ſuum devolutas, vice ſacra judicabant. Probant hæc verba conſtitutionis Conſtantini M. (*e*) quæ Baſſo P. P. inſcripta eſt: „ Super his, qui „ a præſide vel quolibet judice ordinario ſententiam dictam infir-„ mari depoſcunt, ſub eo fine ſublimitatis tuæ ſuccedat exa-„ men.

De appellationibus a ſententiis majorum judicum olim ipſi principes in conſiſtorio judicabant. Sed hoc ipſum a Theodoſio & Valentiniano mutatum, lata lege (*f*), ut ſi a ſpectabilibus eſſet

L appel-

(*a*) In leg. 40. D. *de rebus creditis* L. XII, t. I.

(*b*) In *vita Peſcennii Nigri* cap. 7.

(*c*) *Zoſimus Hiſtoriae* Lib. II, cap. 33.

(*d*) Conſtitutionem hanc exhibet l. 16. *Cod. Theod. de appellat.* Meminit privilegii de non appellando P. P. conceſſi l. 17 D. *de minorib.*

(*e*) L. I *Cod. Theod. de officio P. P.* L. I, t. 5.

(*f*) L. 32 *Cod. Juſt. de appellat. & conſult.*

Digitized by Google

appellatum, præfectus prætorio, qui in illius comitatu erat, & quæſtor palatii ſacris judiciis præſiderent; ſi a duce, qui idem præſes eſſet, jure ordinario ſolus præfectus in ſacro auditorio judicaret; more conſultationum tantum in appellationibus a ſententiis illuſtrium ſervato.

Conveniunt itaque in multis, non tamen in omnibus, præfecti prætorio cum comitibus palatii ſub Francis. Apud Romanos enim preces ſupplicantium & conſultationes judicum ad principem referebant magiſtri libellorum & epiſtolarum, de quibus in Notitia utriusque imperii (*g*): „ Magiſter epiſtolarum legatio- „ nes civitatum, conſultationes & preces tractat. „ Apud Francos hoc comitis palatii officium erat.

Senatores ad principem apud Romanos magiſter officiorum introducebat, teſte formula magiſteriæ dignitatis (*h*), ubi verba leguntur: „ Per eum ſenator veniens noſtris præſentatur obtu- „ tibus, admonet trepidum, componit loquentem, ſua quin et- „ iam verba ſolet inferere, ut nos decenter omnia debeamus au- „ dire. „ Apud Francos proceres & omnes, qui principem adire volebant, a comite palatii introducebantur. Ut paucis dicam, inter plures diviſum fuit ſub Romanis, quod comiti palatii ſub Francis commiſſum fuit, officium.

SECTIO II

(*g*) P. 147 edit. Panciroli.

(*h*) Apud *Caſſiod. Var.* L. VI, cap. 6.

Digitized by Google

SECTIO II

De indole Comitivæ Palatii ſub Francis.

Apud Germanos olim, teſte Tacito (*i*), principes per pagos atque vicos jura reddebant, centeni ſingulis ex plebe comites conſilium ſimul & auctoritas aderant. Plebeji iſti ſenſu proprio comites vocantur, quia principes comitabantur. Sub Francorum regibus, illi ipſi, quos Tacitus principes vocavit, more Romano a dignitate *comites*, ab officio *judices* & *Graviones* dicti ſunt. Ex Sugerio (*k*) colligo, vocabulum *Gravio* vel *Graffio* proprie *exactorem* denotare, ita enim ille: „In ea autem, quæ dicitur Bern-„wallis, poſſeſſione, ſuper Normannici littus maris, in qua etiam „primam alicujus præpoſituræ ab anteceſſore meo ſuſcepi obe-„dientiam, quam etiam in tempore ſtrenuiſſimi regis Hen-„rici, adhuc ſatis juvenis, ab oppreſſione *exactorum regiorum*, „*quos dicunt Graffiones*, multo labore multisque placitis emanci-„paveram.„ Origo vocis incerta. Si conjecturis indulgendum eſſet, eam a Latino verbo *gravo*, quod idem eſt ac *onero*, derivarem. Tributa enim Franci *gravaria*, (*l*) Germani hodieque *Beſchwerden* (onera) vocant; unde forte, qui illi exigendendis præpoſiti erant, Graviorum nomen acceperunt. Exactionem fiſci ad comitum officium pertinuiſſe, ipſa formula comitivæ apud Marculphum (*m*) teſtatur, in qua hæc leguntur: „Et quicquid de ipſa actione in ditionibus fiſci ſperatur, Comites Germani.

(*i*) *De moribus Germ.* cap. 12.

(*k*) De rebus in adminiſtratione ſua geſtis cap. 23, in *Duchesnii Script. Hiſt. Franc.* T. IV, p. 341.

(*l*) In charta Roberti ducis Normannorum de a. 1088 ap. *Cangium in Gloſſario* voce *Gravaria* legimus hæc verba: „Has autem terras reddo „quietas de gravaria, & ab omni laicali conſuetudine.

(*m*) *Formularum* L. I. cap. 8.

Digitized by Google

„ per temetipſum annis ſingulis noſtris ærariis inſeratur. „ Addimus verba diplomatis Ottonis I (*n*) de a. 965. „ Idcirco nos „ quicquid proprietatis in marca vel regno Danorum ad eccleſias „ in honorem Dei conſtructas, videlicet Slieſswigenſem, Ripenſem, Aruſenſem vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum „ acquiratur, ab omni cenſu vel ſervitio noſtri juris abſolvimus, „ ut & epiſcopis præſcriptarum eccleſiarum, absque ulla *comitis* „ *vel alicujus fiſci noſtri exactoris* infeſtatione, ſerviant & ſuccumbant, volumus &c. Quia vero non ſolum comites, ſed etiam vicarii eorum tributa exigebant, ipſi quoque graviones dicti ſunt. In placito Chlodovæi III a. 693 (*o*) graviones a comitibus diſtinguuntur, eisque poſtponuntur, quo loco per graviones ſine dubio vicecomites intelliguntur. Plerumque tamen comes & gravio pro ſynonymis habentur. In legibus Ribuariis titulus (*p*) de eo, qui graſionem occiderit, explicatur per legem ipſam: „ Si quis judicem fiſcalem, quem comitem vocant, interfecerit. „

Comites Palatini Franciæ. Judex, qui ſacris appellationum judiciis in conſiſtorio principis præſidebat, a dignitate *Comes*, a palatiis, in quibus jura reddebat, *Palatinus* dictus eſt. Nonnunquam omnes comites conſiſtoriani comites palatii appellantur. In placito Pipini majoris domus de rebus S. Dionyſii (*q*) hæc leguntur: „ Ubicunque eorum juſtitiam „ inveniam, ſicut proceres ſeu comites palatii, vel reliqui legis „ doctores judicaverunt. „

Diſtin-

(*n*) Exhibet illud *Meibom. Script. rer. Germ.* T. I, p. 749, in appendice diplomatum Ottonis Magni imperatoris.

(*o*) Apud *Mabillon de re dipl.* L. VI, n. 19, p. 475.

(*p*) Titulus LIII.

(*q*) Verba hujus placiti ex tabulario monaſterii S. Dionyſii exſcripſit BIGNONIUS in notis ad Marculſum T. II *Capitul. Baluzii* p. 918.

Digitized by Google

Diſtinguendi ſunt comites palatii a majoribus domus, cum quibus eos plerique confundunt, inter quos Tolnerum (*r*) appello. In Childeberti regis placito de a. 703 (*s*) & majoris domus & comitis palatii mentio occurrit. Verba hæc ſunt: „ Childebertus rex Francorum vir illuſter. Cum nos in Dei nomine Carraciaco villa Grimoaldo *majore domus* noſtræ una cum noſtris „ fidelibus reſederimus. — proinde nos taliter una cum noſtris „ proceribus conſtitit decreviſſe, ut dum illuſter vir Chislemarus „ *comes palatii* noſtri teſtimoniavit, ita inter ipſos fuit judicatum. „ Addimus teſtimonium Gregorii Turonenſis (*t*), qui Florentianum *majorem domus* & Romulſum *palatii comitem* Turonem ad tributa indicenda veniſſe, teſtis oculatus refert. Opponit Tolnerus præceptum Theodorici regis (*u*) a. 690, in quo rex Ebroinum, Waratonem & Chislemarum majores domus ſuæ vocat, & Chislemarum placito Childeberti, Theodorici filii, comitem palatii interfuiſſe dicit. Dabimus ipſa verba præcepti Theodorici, ad quod Tolnerus provocat: „ Theudericus rex Francorum vir illuſter — „ ideoque veſtra cognoſcat induſtria, quod nos pro ſalute animæ „ noſtræ una cum conſilio pontificum vel obtimatum noſtrorum villa „ nuncupante Latiniaco, quæ ponitur in pago Meldequo, qui fuit „ illuſtribus viris Ebroino, Waratuni & Chislemaro quondam „ majoris domus noſtros, & poſt diſceſſum ipſius Warratunis, „ in fiſco noſtro fuerat revocata. „ Ipſa vero hæc verba teſtantur, Warratonem eo tempore, quo præceptum datum eſt, mortuum fuiſſe. Chislemarum autem, Warratonis filium, patre ejusdem artibus depoſito, majorem domus electum, & filio mortuo, patrem reſtitutum fuiſſe, Geſta Francorum (*x*) docent. Ex

(*r*) *Hiſtor. Palat.* cap. v, p. 142 & ſeqq.

(*s*) Apud *Mabillonium de re dipl.* L. vi, n. xxv, p. 480.

(*t*) Lib. ix, cap. 29.

(*u*) Apud *Mabill.* l. c. n. xiii, p. 471.

(*x*) Cap. 47 & 48.

quo manifeſto apparet, Chislemarum, qui in præcepto Theodorici major domus vocatur, diverſum fuiſſe ab Chislemaro illo, qui ſub Childeberto comes palatii fuit. Cætera Tolneri argumenta non moveo, quia ad ea jam ab aliis reſponſum eſt. Majores domus publica præcipue negotia belli, pacis &c. civilia comites palatii tractaſſe leguntur.

Officium eorum.

Originem comitum palatii ad Francicæ monarchiæ initia referunt, idque ipſius officii ratio exigere videtur.

Officium deſcribit Hincmarus: (y) „ Comitis palatini (in„ quit) inter cætera pæne innumerabilia in hoc maxime ſollicitu„ do erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ pro„ pter æquitatis judicium palatium aggrediebantur, juſte ac ratio„ nabiliter determinaret, ſeu perverſe judicata ad æquitatis tra„ mitem reduceret. Si quid vero tale eſſet, quod leges mundanæ „ hoc in ſuis definitionibus ſtatutum non haberent, aut ſecundum „ gentilium conſuetudinem crudelius ſancitum eſſet, quam chri„ ſtianitatis rectitudo vel ſancta auctoritas merito non conſentiret, „ hoc ad regis moderationem perduceretur, ut ipſe cum his, qui „ utramque legem noſſent, & Dei magis quam humanarum legum „ ſtatuta meteurent, ita decerneret, ita ſtatueret, ut ubi utrum„ que ſervari poſſet, utrumque ſervaretur, ſin autem non, lex „ ſeculi merito comprimeretur, juſtitia Dei conſervaretur.

In cauſis provocat.

Ad comitis itaque palatini judicium pertinebant cauſæ, quæ per provocationem a ſententiis comitum pagenſium ad palatium devolvebantur ob læſionem aliquam. Liberum erat ſub Francis ad regem provocare, qua libertate cum multi abutebantur, legibus in temere litigantes pœnæ ſcriptæ ſunt. In capitularibus (z) hæc

(y) In epiſtola de ordine & officio Palatii §. 21, apud *Ducheſne Script. Hiſtor. Franc.* T. II, p. 492.

(z) Vid. capitulare Caroli M. de a. 797, cap. 4, in *Baluzii capit.* T. I, p. 277.

Digitized by Google

hæc leguntur: „ Si fuerit aliquis, qui in patria juxta quod ſui „ convicini judicaverint, ſe pacificare noluerit, & ad palatium pro „ hujus rei cauſa venerit, & ibi ei fuerit judicatum, quod juſtum „ judicium judicaſſent, in prima vice ſolidos viginti ad partem re- „ gis componet, & ſi tunc inde rediens ſe pacificare & juſtitiam facere „ renuerit, & iterum pro iſta cauſa ad palatium fuerit convoca- „ tus & dijudicatus, bis viginti quatuor ſolidos componat, ſi ve- „ ro necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium re- „ meaverit, triplam compoſitionem exinde faciat ad partem re- gis. „ Rariores fuerunt appellationes ad comitem palatinum ſub Merovingicis regibus, de his enim plerumque regis nomine duces (*a*) judicabant; frequentiores ſub Carolingis, poſtquam Carolus M. imperator ducibus abrogatis, imperium per comites adminiſtravit. Major itaque ſub Carolingis, quam ſub Merovingis, comitis palatii auctoritas.

In privilegiatis.

Sunt cauſæ, quæ omiſſo judice intermedio ad comitis palatii judicium ſpectabant, quo pertinent privilegiatæ. Monaſteriis nonnullis, præſertim illis, quæ reges ipſi fundaverant, privilegium conceſſum legimus, ut cauſæ eorum civiles in prima inſtantia a comite palatii judicarentur. In privilegio (*b*) eccleſiæ S. Juliani in comitatu Brivatenſi, a Pipino Aquitaniæ rege a. 836 dato, hæc verba extant: „ Ipſum advecatum nemo præſumat temera- „ rio auſu diſtringere vel in tortum mittere, ſed *noſtro* coram *co-* „ *mite palatii* eccleſiam prælibati martyris videlicet S. Juliani abs- que

(*a*) Duces civilem jurisdictionem habuiſſe, teſtatur lex Alamannorum tit. 36, §. 6. „ Quod ſi eſt talis perſona, quod comes in placito vel cente- „ narius vel miſſus comitis diſtringere non poteſt, tunc eum dux legi- „ time diſtringet. „

(*b*) Exhibet hoc privilegium *Bouchet* in libro, cui titulus: *veritable origine de la ſeconde & troiſieme lignée de la maiſon royale de la France, Preuves* p. 238 ſeq.

Digitized by Google

„ que alicujus inquietudine vel morarum dilatione liceat inquirere.„ Exemplum monaſterii Caſaurienſis ex Mabillonio infra producimus.

Diſciplina publica.

Palatini in cauſis diſciplinæ publicæ comitem palatii judicem habebant. In vita S. Aldrici epiſcopi Senonenſis (*c*) ita: „ Su-„ per quibus jocundatus imperator Auguſtus, eum præceptorem „ palatinum inſtituit, ut *vita imperialis aulæ* & major negotia ſuæ „ diſcretionis arbitrio definirentur. „ Hæc quidem proprie de archicapellano dicuntur, quia vero quoad cauſas ſæculares plane idem fuit comitis palatii officium, certo modo etiam ad comitem palatii pertinent. „ Quemadmodum ſunt, inquit Walafridus „ Strabo (*d*), in palatiis præceptores ſeu comites palatii, qui ſecu-„ larium cauſas ventilant: ita ſunt & illi, quos ſummos capella-„ nos Franci vocant, clericorum cauſis prælati. „

Cauſæ eccleſiaſticæ, a jurisdictione ſæculari exemtæ, ad apocriſiarii ſeu ſummi capellani officium pertinebant. Teſtis eſt Hincmarus: (*e*) „ Apocriſiarius quidem de omni eccleſiaſtica „ religione vel ordine, nec non etiam de canonicæ vel monaſticæ „ altercatione ſeu quæcunque palatium adibant, pro eccleſiaſticis „ neceſſitatibus ſollicitudinem haberet: & ea tantum de externis „ regem adirent, quæ ſine illo plenius definiri non potuiſſent.

Aſſeſſores eorum.

Aſſidebant comiti palatii proceres palatini, ſenſu latiori *comites palatii* dicti, & jurisperiti, qui *legum doctores* & *ſcabini palatii* vocantur. In placito Pipini majoris domus (*f*) hæc extant: „ Ubi-

(*c*) Cap. 9. apud *Mabillon. Vitar. Benedict.* T. v.

(*d*) *De divin. offic.* cap. ult.

(*e*) *De ordine & officio Palatii* cap. 20.

(*f*) Apud BIGNONIUM T. II *Capitular. Baluzii* p. 918.

Digitized by Google

„ Ubicunque eorum juſtitiam inveniam, ſicut proceres vel comi-„ tes palatii, vel reliqui legis doctores judicaverunt. „ Et in Chronico S. Vincentii de Vulturno (*g*) Ludovicus II „ Adraldo „ vicecomiti palatii juſſit, ut reſideret in judicio cum Agelmun-„ do & Petro, ſcabinis palatii. „

Si extra palatium in monaſteriis, quæ ſub regum mundiburdio conſtituta erant, judiciis præſidebant, diverſos territorii, in quo monaſterium ſitum erat, judices, & ſi fiſci intererat, vaſallos etiam regios in conſilium adhibebant. Formam ejusmodi placiti exhibent diplomata apud Mabillonium, (*h*) his quidem verbis: „ In Dei nomine notitia judicati. Dum a præclara „ poteſtate domni Ludovici imperatoris nos Heribaldus comes „ palatii in inſula de Procaria, loco qui dicitur Caſa-aurea, ubi „ monaſterium S. Trinitatis ædificatum eſt, erantque ibi nobis-„ cum reſidentes Adelbertus ſcabinus de Camerino, Lamfridus „ & Majolſus ſcabini de Teate, Johannes ſcabinus de Balva, „ Opteramo & Garifuſo ſcabini de Pinne, Erifredus & Rainarda „ & Lieuteri baſſi dominici, Guido caſtaldio de Pinnis, Sanſon „ caſtaldio de Balva — ibique veniens in noſtra & ſupradictorum „ judicum præſentia Majo ſcabinus advocatus Romani abbatis „ de ſupradicto monaſterio Sanctæ Trinitatis, & querellatus eſt „ nobis ſuper Lieuteri, filium quondam Majelfredi, & dicebat, ju-„ dicate nobis juſtitiam de iſto Lieuteri quatenus — Tunc nos „ ſupraſcripti judices, dum taliter ipſum ſupraſcriptum Lieuteri „ & ipſum ſupraſcriptum Garifuſum ſic reſpondentes audiſſemus, „ & talem profeſſionem facientes, recte nobis paruit eſſe ita & „ judicavimus. Ita factum eſt & ea cauſa finita. Unde nos ſupra-„ dicti judices, pro ſecuritate ipſius ſupraſcripti monaſterii, hanc „ notitiam judicati ex dicto vel de mandato noſtro & ſupradicto-„ rum judicum Audoaldo notario ſcribere diximus. Quam &

M ego

(*g*) Apud *Ducheſne ſcript. hiſt. Franc.* T. III, pag. 690.

(*h*) *De re diplomat.* L. VI, p. 544 & ſeq. n. 104 & 105.

„ ego ita ſcripſi. Actum in Caſa-aurea in anno imperii domini „ Ludovici XXIIII die III & quarto menſis Decembris per Indictio- „ nem XVII feliciter. „ In ſubſcriptione hæc reperiuntur: „ ✝ Sig- „ num Heribaldi comitis ſacri palatii qui ibi fui & propter igno- „ rantiam literarum ſignum ſanctæ crucis feci &c. „

Sequitur alterum: „ Dum domnus Ludovicus glorioſus „ imperator de partibus Beneventi reverteretur, & veniſſet „ ad monaſterium ſanctæ Trinitatis, quod eſt conſtructum „ in inſula, quæ dicitur Caſa-aurea, quod ipſe Auguſtus „ a fundamentis ædificare diſpoſuit in finibus Pinnenſibus, & „ ibi per ejusdem Auguſti juſſionem intus eodem monaſterio „ in judicio reſiderem, ego Heribaldus comes in vice comi- „ tis palatii ad ſingulorum hominum juſtitias faciendas vel deli- „ berandas, reſidentibus mecum Rainaldo & Erifredo & Caci- „ prando baſſis domni imperatoris, Adelberto, Johanne, Majolſo „ judicibus — ibique in noſtri veniens præſentiam Majo de Piſca- „ ria, advocatus domni imperatoris, nec non Siſenandus, ex ge- „ nere Francorum, altercationem inter ſe habentes. Dicebat ipſe „ Majus advocatus: iſte Siſenandus habet uxorem Gundi, quæ „ fuit veſte & velamine ſanctæ Dei genitricis Mariæ induta, & „ poſtea iſte Siſenandus eam ſibi in conjugio ſociavit: unde ſecun- „ dum legem perſona ejus ſimul & ſubſtantia parti palatii perti- „ nere debet, unde quæro a parte domni imperatoris habere ju- „ ſtitiam — Cum hæc omnia taliter facta & adimpleta fuiſſent: „ paruit nobis omnibusque ſupra auditoribus eſſe rectum & judi- „ cavimus. — In anno domni Ludovici imperatoris XXIV menſe „ Decembri per Indictionem VII. ✝ ſignum manus Heribaldi vice- „ comitis palatii qui ibi fui &c. „

Non-

Nonnunquam comites palatii in provincias mittebantur, ut regis nomine provocationum judiciis præeſſent. Adalardum comitem palatii a Ludovico Pio imperatore in Italiam miſſum Eginhardus (*i*) refert, ut inchoatas a Lothario filio juſtitias perficeret. Mittuntur in provincias.

Hæc de cauſis, in quibus comites palatii judices erant. Sunt aliæ, quas majores vocamus, de quibus ipſi principem facta relatione conſultabant, qui vel ipſe ſententiam dixit, vel eas judicio procerum, placitum vocant, reſervavit. Decreta vel placita regis nomine inſcribebantur, mentione tamen plerumque facta, quod ad comitis palatii conſultationem vel relationem concepta fuiſſent. Ex multis, quæ ſuperſunt, documentis tantum præcipua dabimus. In placito Chlotarii III, Neuſtraſiorum atque Burgundionum regis, (*k*) hæc verba leguntur. „ Chlotarius rex „ Francorum vir illuſter — Ideoque cum nos in Dei nomine Maſolago in palatio noſtro, una cum apoſtolicis viris patribus noſtris epiſcopis, obtimatibus, cæteriſque palatii noſtri miniſtris, „ nec non & Audebaldo palatii noſtri comite, qui de ipſo miniſterio ad præſens nobis deſervire videbatur, ad univerſorum „ cauſas audiendas juſtoque judicio terminandas reſideramus — „ Proinde nos taliter una cum noſtris proceribus *in quantum illuſter vir Audobaldus comes palatii noſtri teſtimoniavit*, conſtitit de„ creviſſe. Sub die nono Kalend. Novembr. in anno octavo re„ gnante domino noſtro Chlotario feliciter. Amen. „ Conſultant reges.

M 2 In

(*i*) *Annal.* ad a. 823, apud *Duchesne ſcript. hiſt. Franc.* T. II. p. 266.

(*k*) Exhibent hoc placitum *Perard recueil de pluſieurs pieces ſervant a l'hiſtoire de Bourgogne* p. 6. & Bignonius ad *formulas Marculfi* L. I. cap. 25. apud *Baluz. Capitul.* T. II, pag. 909. Perardus l. c. illud ad Chlotarium IIdum & a. 627 refert. Bignonius l. c. & *Mabillon de re dipl.* L. IV. p. 300 rectius Chlotario III tribuunt, ſub quo ejus etiam mentionem facit Chronicon S. Benigni ad a. 660, in *Dachery ſpicilegio* ex editione *de la Barre* T. II. p. 369.

Digitized by Google

In Chlodovæi III regis placito de a. 692 (*l*) hæc exſtant: „ Chlodovius rex Francorum vir illuſter — Proinde nos taliter „ una cum noſtris proceribus conſtitit decreviſſe, ut ſi evidenter „ per eorum notitias paricolas taliter inter ſe pro hac cauſa pla- „ citum habuerunt initum & *illuſtris vir Warno comes palatii no-* „ *ſtri teſtimoniavit*, quod memorati agentis jam dicto Chainoni „ abbati placitum eorum legibus cuſtodierunt, & ſupraſcriptus „ Ermenoaldus abbas placitum ſuum cuſtodire neglexit &c.

In placito Childeberti III de a. 709 (*m*) „ Childebertus rex „ Francorum vir illuſter — Proinde nos taliter una cum noſtris „ proceribus conſtitit decreviſſe, ut *dum illuſter vir Bertoaldus co-* „ *mes palatii noſtri teſtimoniavit*, quod hæc cauſa ſic acta vel in- „ quiſita fuiſſet, jubemus &c.

In placito Caroli M. de a. 775 (*n*) „ Carolus Dei gratia rex „ Francorum & Longobardorum vir illuſter. Cum nos in Dei no- „ mine Duria villa in palatio noſtro ad univerſorum cauſas au- „ diendum vel recta judicia terminandum reſederimus — Proinde „ nos taliter una cum fidelibus noſtris & *Anſelmo comite palatii* „ *noſtro* vel reliquis quam plurimis viſi ſuimus judicaſſe — pro- „ pterea jubemus ut *dum hanc cauſam ſic actam vel perpetratam* „ *eſſe cognovimus* &c.

In alio ejusdem placito (*o*) „ Carolus gratia Dei rex Franco- „ rum & Longobardorum. Cum nos in Dei nomine Seleteſtati „ villa in palatio noſtro ad univerſorum cauſas judicandum & „ recto judicio terminandum conſederimus — Proinde nos taliter „ cum fidelibus noſtris, hi ſunt Mudrigo, Odrigo, Theodrico, „ Bernhardo, Albuino, Aginhardo, Beringario comitibus & *An-*

„ *ſelmo*

(*l*) Apud *Mabillon* l. c. n. XVI.

(*m*) Apud eundem l. c. n. XXVII p. 482.

(*n*) Ibid. l. c. pag 499 n. LI.

(*o*) Apud eundem in *Annal. Benedict.* T. II pag. 699 n. 13.

Digitized by Google

„ *ſelmo comite palatii noſtri* vel reliquis quam plurimis viſi fuimus „ judicaſſe. „ Cangeus (*p*) arbitratur, comitem palatii in ipſis judiciis, quibus reges intererant, præſidis officio functum fuiſſe. Verum ex ipſis diplomatibus, quorum verba exſcripſimus, apparet, ſententiam ad comitis palatii relationem a rege & proceribus latam fuiſſe.

Nonnunquam tamen, quod ultimis Merovingorum temporibus ſæpius factum exiſtimamus, regis vice majores domus his judiciis præſidebant. In placito Pippini majoris domus (*q*) hæc extant: „ Cum reſediſſet illuſter vir Pippinus major domus Verno „ in palatio publico ad univerſorum cauſas audiendas & juſto ju- „ dicio terminandas — Proinde nos taliter, una cum fidelibus „ noſtris — & *Ermenaldo comite palatii noſtro* vel reliquis quam „ plurimis viſi fuimus judicaſſe — Datum menſe Februario die „ XI anno V Childerici regis. Wilecharius juſſus recognovit. „

Ad majores cauſas, quas principis vel procerum judicio reſervatas diximus, pertinent 1) negotia legibus non definita, vel definita quidem, quæ vero ob mutatos mores novas leges requirebant. „ Si quid tale eſſet, inquit Hincmarus, (*r*) quod le- „ ges mundanæ hoc in ſuis definitionibus ſtatutum non haberent, „ aut ſecundum gentilium conſuetudinem crudelius ſancitum eſ- „ ſet, quam chriſtianitatis rectitudo vel ſancta auctoritas merito „ non conſentiret, hoc ad regis moderationem perduceretur. 2) Lites inter ipſos proceres agitatæ, de quibus non niſi ex principis delegatione comites palatii judicabant. In capitularibus Caroli M. (*s*) hæc decernuntur. „ Ut epiſcopi, abbates, comites Cauſæ majores.

M 3 „ &

(*p*) Ad Joinvillam Diſſ. XIV p. 228 ſeq.

(*q*) *Mabillon de re dipl.* n. XXXVII p. 439. add. n. XXXIX.

(*r*) *De ordine & officio palatii* §. 21.

(*s*) *Capitul.* Lib. III cap. 77.

Digitized by Google

„ & potentiores quique, ſi cauſam inter ſe habuerint, ac ſe paci-„ ficare noluerint, ad noſtram jubeantur venire præſentiam, neque „ illorum contentio alibi dijudicetur, ne propter hoc pauperum „ & minus potentium juſtitia remaneat. Neque ullus comes pa-„ latii potentiorum cauſas ſine noſtra juſſione finire præſumat „ 3) Delicta procerum, de quibus comites palatii ad regem referebant. S. Leodegarium ab impio Ebroino majore domus ad ſynodum evocatum, & cum ibi dignitate epiſcopali privatus fuiſſet, Chrodeberto comiti palatii traditum, tandemque Ebroini juſſu capite damnatum fuiſſe legimus (*t*).

Ad majores cauſas denique referimus 4) lites, quæ de prædiis ſalicis ſeu bonis domanialibus movebantur. In his judiciis ſive placitis cauſæ regiæ patronus erat ipſe comes palatii. Formam ejusmodi placiti exhibet ſententia, quæ in favorem Ludovici II imperatoris a proceribus a. 860 lata fuit (*u*). „ Cum præſtantiſſi-„ mus ac glorioſiſſimus domnus imperator Ludovicus per Romani-„ am tranſiens fines adiſſet Spoletinos — inter fines Haëſinos & „ Camertulos inſtituit fideles & optimates ſuos, videlicet Wi-„ chodum venerabilem epiſcopum, Adelbertum comitem ſtabuli, „ quos ad diſtringendum in eodem placito præfecit, Hucboldum „ comitem palatii, Hechideum pincernam primum, Tracterimum „ ſacri palatii archinotarium, Winigiſum armigerum, Begeri no-„ bilem optimatem & fratrem ſuum Octonem, Bebonem conſi-„ liarium, Reginarium capellanum, vel de reliquis quam pluribus „ palatii. Ibique in eorum præſentia veniens Hildebertus comes „ ad ſingulorum hominum juſtitias reddendas vel oppreſſiones „ quas fecerat emendandas; cui interpellatus eſt jam dictus Huc-„ boldus in cauſam domini imperatoris, quod proprium de dom-„ no imperatore ad *ſalicam perſonam* ad Adelbertum poteſtative „ tra-

(*t*) Vita Leodegarii cap. 14 & 15. apud *Duchesne* T. II. *ſcript. hiſt. Franc.* pag. 610. ſeq.

(*u*) Apud *Mabillon.* l. c. pag. 533 & ſeq. n. XCIII.

„ traditum & inveſtitum, unde legibus domnus imp. veſtitus fue-
„ rat & Jldebertus detinebat malo ordine — Cum nos autem ſuprad.
„ auditores taliter in eod. præcepto cognovimus eſſe firmatum,
„ viſum nobis fuit legaliter, domno imperatori ipſas res legibus
„ pertinere, & in nullam aliam poteſtatem eum potuiſſe transfer-
„ re. Ideoque judicavimus, ut easdem res cum omni integritate
„ ad poteſtatem domni imperatoris reveſtiſſet, ſicuti in noſtro-
„ rum præſentia per idem præceptum fuit — Ego Simpertus no-
„ tarius ex ſupraſcrîptorum ammonitione & ex dictato Tractemi-
„ ri archicancellarii ſcripſi. Anno imperii domini ejusdem Au-
„ guſti Ludovici X menſe Martio Indictione VIII. Druſtemirus ar-
„ chinotarius interfui & ſubſcripſi. Signum ſupradicti manus He-
„ chidei comitis & primi pincernæ &c.

Cauſæ, de quibus comites palatii judicabant vel referebant, *palatinæ* ab Hincmaro (*x*) vocantur. „ De minoribus (inquit) „ vel proprie palatinis, non generaliter ad regnum pertinentibus, „ ſed ſpecialiter ad perſonas quasque reſpicientibus, quæ ſpecia- „ liter palatio imminebant — præfatorum conſiliariorum intentio, „ quando ad palatium convocabantur, in hoc præcipue vigebat, „ ut non ſpeciales vel ſingulares quascunque, ſed nec etiam illo- „ rum, qui pro contentionibus rerum aut legum veniebant, or- „ dinarent, quousque illa, quæ generaliter ad ſalutem vel ſta- „ tum regis & regni pertinebant, domino miſerante ordinata ha- „ buiſſent. Et tunc demum ſi forte tale aliquid domino rege præ- „ cipiente reſervandum erat, quod ſine eorum certa conſideratio- „ ne determinari a comite palatii vel a cæteris, quibus congrue- „ bant, **Cauſæ minores.**

(*x*) *De ordine & officio palatii* cap. 33. Duo erant ſingulis annis placita. Alterum, cui omnes proceres regni aderant, ubi de negotiis, publicis, ad ſtatum regis vel regni ſpectantibus, agebatur. Alterum, cui præcipui tantum regni conſiliarii aderant, in quo de negotiis, in majori placito tractandis, deliberabatur. Teſtis eſt idem Hincmarus l. c. cap. 29 & 30. In his comitiis ſive placitis cauſæ palatinæ publicæ tractabantur.

Digitized by Google

„ bant, non potuiſſet. „ Alio loco idem Hincmarus (*y*) hæc verba habet: „ Juſſit Carolus (Calvus) ut præcepta Carlomanni „ & Caroli, ſed & ſuum præceptum (de villa Novilliaco) co- „ ram ſuis fidelibus in generali placito ſuo apud Duziacum in *cau-* „ *ſis palatinis* legerentur. Unde fideles ejus tam comites quam „ & vaſſi dominici — ſed & cæteri omnes, qui adfuerunt, re- „ lectis eisdem præceptis judicaverunt &c. „

Publicæ. Cauſæ majores, quas comites palatii examinabant & ad regem referebant, *publicæ* vocantur in geſtis Franconis, Cenomanenſis epiſcopi: (*z*) „ Ut autem cognovit Carolus imperator ju- „ ſtitiam domini epiſcopi, præcepit tamen propter pleniorem au- „ ctoritatem, hæc publiciter *in cauſis publicis* Ercambaldo ſeniori „ cancellario ſuo & Troanto comiti palatii ſui inquirere & diligen- „ ter tractare. Tunc habuit dominus Franco in eodem palatio & „ prædicta præcepta regalia, & ſua ſtrumenta cartarum, & te- „ ſtes ſufficientes, & plena atque juſta ratione ſecundum legem „ ante prædictos miſſos, & poſtea ante domnum Carolum condi- „ cavit ſuum placitum & conquæſivit jam dictum monaſterium „ (Karileff) ad jus ſuæ ſedis eccleſiæ. „ (*a*) Hæc de juſtitiæ adminiſtratione, quæ ad comitis palatii officium pertinebat. Neque tamen ea ſola, ſed, ut habet Hincmarus, innumerabilia alia ejus curæ incumbebant.

Pro-

(*y*) Opp. T. II, p. 833.

(*z*) *Mabillon analect.* p. 292, edit. a. 1723.

(*a*) Cauſæ majores *cauſæ reipublicæ* nominantur in admonitione, ad Ludovicum Germaniæ regem ab Hincmaro aliisque epiſcopis miſſa, cum ad occupandum Caroli fratris ſui regnum veniſſet a. 858. Verba hæc ſunt: „ Ut ſi epiſcopus pro quacunque neceſſitate eccleſiaſtica ad vos „ direxerit, ad quem ſuus miſſus veniat, per quem, quæ rationabili- „ ter petierit, obtineat in palatio veſtro, ſicut comes palatii eſt *in cau-* „ *ſis rei publicæ*, miniſterio congruum conſtitutum habete. „ Apud *Hincmarum* Opp. T. II, p. 131.

Digitized by Google

Proceres, vel quicunque regem ipſum adire volebant, a comite palatii introducebantur. „ Si ſecreta eſſet cauſa, inquit „ Hincmarus, (b) quam prius congrueret regi, quam cuiquam „ alteri dicere, comites palatini eundem dicendi locum eidem „ ipſi præpararent, introducto prius rege, ut hoc juxta modum „ perſonæ vel honorabiliter, vel patienter, vel etiam miſericorditer ſuſciperet. „

Ad tributa indicenda ſub Childeberto rege Florentianum majorem domus & Romulſum comitem palatii miſſos, Gregorius Turonenſis (c) refert.

In bellis denique comites palatii regibus aderant & pro principe & legibus pugnabant. Sub Childeberto Trudulſus (d), ſub Carolo M. Anſelmus (e) in proeliis fortiter pugnantes cecidiſſe leguntur.

Ob tantam muneris dignitatem, ab ipſis regibus *illuſtris* titulo, quo ipſi ſibi principes placebant, ornabantur. De Merovingicis ſaltem regibus hoc certum eſt (f), de Carolingicis nullum exemplum reperi.

Numerus comitum palatii.

De numero comitum palatii diſputant. Sunt, qui plures ſub uno eodemque principe fuiſſe affirmant, ſunt, qui negant. Argumenta, quibus diverſæ ſententiæ nituntur, facili modo conciliari poſſunt. Fuerunt plures comites in palatio principis, quos Romani comites intra palatium & conſiſtorianos, Franci comites palatii dixerunt. Ex his primus per eminentiam comes S. palatii

N dictus,

(b) *De ordine & officio palatii* §. 19.

(c) Lib. IX cap. 23.

(d) Idem Lib. IX cap. 12.

(e) *Eginhardus* in *vita Caroli M.* cap. 9.

(f) Exempla dant placita ſupra allegata, in quibus verba leguntur: *in quantum illuſter vir — comes palatii noſtri teſtimoniavit.*

dictus, reliqui ejus aſſeſſores & vicarii fuerunt. In placito Childeberti III a. 710 (*g*) hæc extant: „ Proinde nos taliter una cum „ noſtris proceribus conſtitit decreviſſe, in quantum illuſter vir „ Bero comis palatii noſtri, qui ad vicem itemque illuſtri viro „ Grimberchto comiti palatii noſtri adeſtare videbatur, teſtimo- „ niabit. „ Sub Ludovico II, Romanorum imperatore & Italiæ rege, Heribaldus comes palatii (*h*) in vice comitis palatii, quem Hucboldum fuiſſe ex alio diplomate (*i*) diſcimus, judicio in monaſterio Caſaurienſi præfuit.

Sub Merovingis.

Diviſo ſub Merovingis imperio, Auſtraſia, Neuſtria, Burgundia, cum regem ſibi haberent peculiarem, ſuum quoque ſingulæ habuerunt comitem palatii.

In regno Auſtraſiæ ſub Sigeberto I, Chlotarii I filio, *Gucilio* comes palatii fuit, quem juſſu Chilperici capite truncatum Gregorius Turonenſis (*k*) refert. Sub Childeberto, Sigeberti I filio, Auſtraſiorum rege, *Trudulſum* & *Romulſum* idem Gregorius Turonenſis (*l*) memorat.

In Neuſtria atque Burgundia, quæ duo regna ſub Chlotario III, Chlodovæi II filio, conjuncta fuerunt, *Audobaldum* comitem palatii fuiſſe, ex placito ejusdem regis conſtat (*m*). Sub Theodorico, Chlotarii III filio, *Chrodebertus* comes palatii ab auctore vitæ S. Leodegarii (*n*) memoratur.

Cum

(*g*) *Mabillon de re dipl.* L. VI. p. 483 n. XXVIII.

(*h*) Placitum hoc exhibetur l. c. n. CV, p. 545.

(*i*) Extat ibidem l. c. n. XCIII.

(*k*) Lib. V cap. 19.

(*l*) Lib. IX cap. 12 & 30.

(*m*) Verba hujus placiti ſupra dedimus pag. 91.

(*n*) Cap. 15.

Digitized by Google

Cum Ludovicus Pius imperator imperium inter filios ſuos diviſiſſet, ſuum quisque rex comitem palatii habuit. Sub Carolingis.

In regno Aquitaniæ Pipinum regem comitem palatii habuiſſe, ex privilegio ejusd. regis, eccleſiæ S. Juliani in comitatu Brivatenſi dato (*o*) apparet. Verba hæc ſunt: „ Pipinus gratia Dei rex Francorum — ipſum advocatum nemo præſumat temerario auſu diſtringere vel in tortum mittere, ſed *noſtro coram comite palatii* eccleſiam prælibati martyris videlicet S. Juliani absque alicujus inquietudine vel morarum dilatione liceat inquirere. D. IV idus Mart. anno XXIII imperii domini Ludovici ſereniſſimi auguſti & XXII regni noſtri, Indictione XIV.

Dein in regno Bavariæ ſub Ludovico rege, qui Germanicus dictus eſt, *Timo comes palatii* literis donationis (*p*) Sigiſunſi presbyteri, eccleſiæ Friſingenſi factæ, inter teſtes ſubſcripſit: „ Hoc factum eſt in publico ſynodo ad Frigiſingas in V idus Octobr. Ind. IX, anno incarnationis Dominicæ DCCCXXXI, Ludovici imperatoris ſui XVII, Ludovici regis noſtri V. Iſti ſunt, qui hoc viderunt & teſtes extiterunt, *Timo palatii comes* &c.

Poſt tractatus Virodunenſes inter filios Ludovici I, Lotharium, Ludovicum & Carolum initos, in Italia, Germania & Gallia comites palatii deprehendimus. Poſt diviſionem Virodun.

In regno Italiæ ſub Lothario I imp. Italorum & Lotharingorum rege, circa annum, uti videtur, 853, *Hucboldus* comes palatii teſtis ſignavit literas Rodingi, epiſcopi Florentini, quibus ipſius filiam abbatiſſam monaſterio S. Andreæ præfecit (*q*). In Ital.

N 2 IIdo

(*o*) Exhibet hoc privilegium *Bouchet* in libro, cui titulus: *veritable origine de la ſeconde & troiſieme lignée de la maiſon royale de France*, probat. pag. 238 & ſeq.

(*p*) *Meichelbeck hiſt. Friſing.* Tom. I, Inſtr. n. 559.

(*q*) Extant in *Ughellii Ital. ſacra* T. III, pag. 26. edit. noviſſ. Ipſum diplo-

Digitized by Google

In Germ. In regno Germaniæ ſub Ludovico Germ. *Fritilo* comes palatii teſtis adducitur in literis donationis Kerhardi cujusdam, ejusdemque uxoris, quam eccleſiæ Friſingenſi fecerunt a. 845 (*r*): „ Iſti ſunt teſtes, qui hæc omnia peracta & confirmata viderunt, *Fri-* „ *tilo palatii comes.* „ Idem *Fritilo* teſtis adfuit donationi, quam Paldricus quidam vir nobilis eidem eccleſiæ fecit. (*s*) Datæ hæ literæ in villa Dungeih prope Virodunum eod. anno & menſe, quo pax Virodunenſis facta eſt. Ex quo colligimus, Fritilonem comitem palatii in comitatu Ludovici Germanici, cum reliquis Germaniæ proceribus, ipſis tractatibus pacis interſuiſſe. Verba hæc ſunt: „ Notum ſit omnibus chriſtianam religionem colentibus, quod „ Erchambertus, Frigiſingenſis eccleſiæ epiſcopus, annuente gratia „ divina cum Paldricho viro venerando ſe coadunavit talium re- „ rum, ut ſequens ratio per ordinem demonſtrat, hoc eſt, quod „ idem Epiſcopus idemque vir nominatus convenerunt in loco „ nuncupante Dungeih, quod eſt juxta civitatem Viriduna, ubi „ trium fratrum Hludharii, Ludovici & Caroli facta eſt concor- „ dia & diviſio regni ipſorum —— Iſti ſunt teſtes per aures „ tracti ſecundum legem Bajuvariorum, *Fritilo palatinus comes* &c. „ Anno incarnationis Dominicæ DCCCLXIII, Indict. VI. Actum die „ decimo menſis VIII, hoc eſt IV idus Auguſti. „ Sub eodem Ludovico *Ruodolfus* comes palatii in annalibus Fuldenſibus (*t*) ad a. 857 memoratur. Idem rex filios ſuos Ludovicum & Carolum

ploma ad a. 853 referimus; in inſcriptione enim hæc verba leguntur: „ In nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Lotharius & Ludovi- „ cus divina clementia imperatores auguſti anno imperii . . . . trigeſi- „ mo tertio, quarto decimo Kalend. Novembr. „ Cum nomen Lotharii Ludovici nomini præpoſitum ſit, illud non ſub Ludovico Pio, ſed ſub Lothario, Ludovici Pii filio, datum eſſe apparet.

(*r*) *Meichelbeck Hiſt. Friſing.* Tom. I, Inſtrum. n. 635.

(*s*) Ibidem l. c. n. 629.

(*t*) *Ducheſne* T. II. *ſcript. hiſtor. Franc.* p. 266.

Digitized by Google

rolum in comitiis Biſeſtatenſibus a. 873 cauſis palatinis dijudicandis præfecit. Teſtimonium præbent iidem annales Fuldenſes, his quidem verbis: „ Exactis diebus quadrageſimæ & hebdoma „ paſcali finita, rex de Franconofurt tranſiens in villa Biſeſtatt „ prope Wormatiam placitum habuit, filiosque ſuos Ludovicum „ & Carolum ad audiendum ſingulorum cauſas conſtituit, ut „ quicquid ipſi per ſe terminare non poſſent, patris judicio reſervarent. Unde accidit, ut undique convenientium querimo- „ niis legitime terminatis, unusquisque cum gaudio rediret „ ad ſua.

In Galliæ regno ſub Carolo Calvo rege *Elmenradus* comes palatii in placito ejusdem regis a. 844 nominatur (*u*). Verba hæc ſunt: „ Quam denique rationem de more regali fideli- „ bus noſtris venerabilibus, hoc eſt Notoni archiepiſcopo, nec „ non & *Elmerado ſacri palatii noſtri comiti* — inveſtigare decrevi- „ mus. In Gallia.

Plures ſub eodem rege comites palatii nominavit Cangeus, (*x*) quibus addimus *Arbertum*, cujus mentio fit in ſententia (*y*), quæ in ſolenni prælatorum & epiſcoporum conventu, in Vermerienſi palatio, in gratiam Aniſolenſium monachorum contra Robertum, epiſcopum Cenomanenſem, lata fuit, ubi: „ Baganarius notarius ad vicem *Arberti comitis palatii* recognovi. Dat. „ IV Kal. Novembr. Ind. XII, a. XXIV regni Caroli glorioſi regis. „ Actum Vermeriæ palatio regio.

(*u*) Apud *Baluzium* in append. actorum veterum ad *Capitularia* n. 59.

(*x*) In *Gloſſar. med. & inf. latin.* voce *comites palatini.*

(*y*) Extat apud *Martene & Durand* in *collectione ampliſſima veterum ſcript. & monument.* T. 1, p. 172.

Poſt Lotharii imp. obitum.

Mortuo Lothario I imperatore, ejusque imperio inter filios Ludovicum & Lotharium diviſo, in utroque Italiæ & Lotharii regno comites palatii occurrunt.

In Italiæ regno ſub Ludovico II *Hucboldus* comes pal. placito adfuit, quo hæreditas Adelberti regi adjudicata fuit a. 860 (*z*). *Bodradus* comes palatii ſynodo Ticin. (*a*) a. 876 interfuit, & electioni Caroli Calvi, qui mortuo Ludovico ſucceſſit, inter reliquos Italiæ proceres ſubſcripſit, ex quo ipſum ſub Ludovico II comitem palatii factum & Hucboldo in officio ſucceſſiſſe, conjicimus.

In regno Lotharii.

In regno Lotharii ſub Lothario II rege a. 856 *Ansfridus* comes pal. nominatur in literis donationis (*b*) eidem a rege factæ. „ Datæ „ ſunt v idus Nov. anno Chriſto propitio . . . . imperii domini „ Lotharii piiſſimi regis primo, Indict. IV. „ Annus primus Lotharii incidit in annum æræ Chriſtianæ 856, cum quo numerus Indictionis convenit. Freherus aliique rem hanc Lothario imp. male tribuunt.

Sub Carolo Simplice, Galliæ rege, ad quem a. 911 Lothariorum regnum tranſiit, *Widricus* comes palatii memoratur in placito regio, (*c*) quo abbatia Sueſtra monaſterio Prumienſi adjudicatur. Verba hæc ſunt: „ Habito generali placito apud Hari- „ ſtallium, in conventu totius regni tam epiſcoporum, quam co- „ mitum & procerum, & judicum diverſarum poteſtatum, omnium- „ que conventu nobilium, cunctorum fidelium noſtrorum, quo- „ rum nomina hæc ſunt: Rotgarius archiepiſcopus, Herimannus

„ archi-

(*z*) Apud *Mabillon de re dipl.* L. VI, p. 533 & ſeq.

(*a*) Inſtrumentum electionis exhibet *Duchesne ſcript. hiſt. Franc.* T. II, p. 459.

(*b*) In *Tolneri cod. dipl. Palat.* n. 8.

(*c*) *Martene & Durand* in *collect. ampliſſ.* T. I. p. 270.

Digitized by Google

„ archiepiſcopus, Dado epiſcopus, *Widricus comes palatii* &c.
„ generali judicio decretum & determinatum eſt — Dat. xiv. kal.
„ Febr. Indict. iv, anno xxii regnante domino Carolo rege.
„ Redindegrante xvii, largiore vero hæreditate indepta v.
„ Actum Heriſtallium palatium.

Widricum, qui ſub Carolo Simplice comes palatii nominatur, ſub Ludovico Infante comitem pagenſem in regno Lotharii fuiſſe, ex contractu permutationis bonorum inter monaſteriumS. Maximini & Roricum quendam a. 909 inito (*d*) apparet: „ In pago „ Bedinſe in comitatu Widrici. „ Unde conjicimus, Widricum non Galliæ, ſed regni Lotharii comitem palatii ſub Carolo Simplice fuiſſe. Guido Galliæ comes palatii ex tabulario Aremarenſi a Cangeo (*e*) nominatur.

Poſt Ludovici Germ. obitum.

In Germania, poſt fata Ludovici Germanici, ante Conradum I regem, nulla comitum palatii veſtigia apparent. Defectum hunc ex ſuo ingenio ſupplere conatus eſt Tolnerus, (*f*) qui Ludovico Balbo atque Carolo Craſſo Adalardum, Arnulpho Ottonem & Sigfridum, Ludovico, Arnulphi filio, eundem Sigfridum comites palatii adſcribit. Verum hæc omnia ſine teſte dicuntur. Adalardus ſub Carolo Calvo imperatore in ejusdem capitularibus (*g*) memoratur, at ſub Ludovico Balbo & Carolo Craſſo nulla ejus mentio. Ottonem fruſtra quis in annalibus quæſiverit. Sigfridus comes palatii in diplomate Ludovici regis (*h*) quidem nominatur. Verba hæc ſunt: „ Ludovicus gratia Dei rex—

(*d*) *Honthemii hiſt. Trevir. dipl.* T. 1, n. 136.

(*e*) In *Gloſſario* voce *comites palatini* & ad Joinvillam diſſert. xiv p. 232.

(*f*) *Hiſt. Palat.* cap. 5, pag. 162.

(*g*) Tit. liii §. 17. Tom. ii. p. 265 *Capitul. Baluzii.*

(*h*) In *Ughellii Italia ſacra* T. v, p. 273 edit. noviſſ.

Digitized by Google

„ rex — quia vir venerabilis Deilbertus S. Comenſis eccleſiæ „ præſul & noſter archicancellarius per Sigifredum comitem pala- „ tii noſtri noſtræ ſerenitatis ſublimitatem adiens innotuit nobis. „ D. XV kal. Febr. anno incarnat. Domin. DCCCCI, Ind. IV, anno „ Ludovici largiſſimi regis in Italia primo. „ Verum ex Reginone jam ab aliis obſervatum eſt, hoc tempore Ludovicum Boſonidem, eoque fugato Berengarium reges Italiæ fuiſſe. Ad Ludovici Boſonidis itaque & Berengarii (*i*) Italiæ regum, non vero ad Arnulphi & Ludovici Infantis in Germania imperium Sigifridus referendus eſt.

Sub initia Ottonis I, ad a. 938, *Eberhardus* Conradi I. regis frater a Sigeberto Gemblacenſi comes palatii vocatur. „ Contra „ Ottonem imperatorem (inquit) rebellavit *Eberhardus comes pa-* „ *latii* & Giſelbertus dux Lotharingiæ. „ Idem Eberhardus ab auctore vitæ Johannis Gorziæ abbatis (*k*) ducatum Franciæ habuiſſe dicitur: „ Giſelbertus ducatum regni Lotharii, Everardus Fran- „ ciæ Auſtraſiæ & quorundam trans Rhenum tenebat locorum. „ Ducem Francorum eum continuator Reginonis (*l*) vocat. Cum ſub Henrico I regnum Lotharii ad Germaniam rediiſſet, officii comitis palatini in his terris apparent veſtigia. „ Eberhardus „ Transrhenenſis in regnum Lotharii mittitur ab Henrico juſtitias „ faciendi cauſa, Lotharienſes inter ſe pace conſociat. „ Hæc verba Frodoardi. (*m*) Poſtquam vero Giſelbertus, accepta in matrimonium regis filia Gerberga, dux Lotharingiæ confirmatus fuerat (*n*), ipſum quoque more ducum de appellationibus judicaſſe veroſimile eſt.

Otto I.

(*i*) Diploma regis Berengarii, quo *Sigfridum glorioſum palatii comitem* vocat, ibid. T. IV, pag. 424.

(*k*) In *Labbæi bibliotheca mſpt.* T. I. p. 768.

(*l*) Ad a. 937. Add. *Chronographus Saxo* ad a. 937,

(*m*) Ad a. 926.

(*n*) *Wittechindus annal.* L. I. ap. *Meibomium ſcript. rerum Germ.* p. 638.

Digitized by Google

Otto I imp. dignitatem comitivæ palatii *Hermanno* contulit, teſte interpolatore Brouwillerenſi: (*o*) „Generoſiſſimus heros „Hermannus comes palatinus, cognomento puſillus, non mediocris reputationis inter magnates illuſtriſſimi imperatoris primi „Ottonis, cui in negotiis regni ac proeliorum periculis, tam auxilio, quam conſilio fideliſſime obſtitit.„ Ipſum quoque ſcriptum (*p*) Hermannum comitem palatinum vocat: „Erat in diebus Hermanni, comitis palatini, patris memorabilis Herenfridi, qui vel„ut Abraham patriarcha mutato nomine Ezo appellatus eſt, vir „quidam„ &c.

Hermanno itaque ſucceſſit filius *Ezo*, „quem regalis pala„tii apicem jure paterni ſanguinis ſtrenuiſſime gubernaſſe„ idem anonymus Brouwillerenſis (*q*) teſtatur.

SECTIO III

Quando terra ſalica cum dignitate comitis palatii conjuncta fuerit.

Comitibus palatii olim in præmium officii plures villas regias & terras palatinas, ſalicas (*r*) vocant, in feudum, vel etiam proprietatem conceſſas fuiſſe, eo minus dubitandum eſt, quod de aliis palatii miniſtris, de comitibus pagenſibus, imo de privatis hominibus idem conſtet. **Beneficia regia aliorum.**

Godinus ſub Chilperico rege plures villas regias in territorio *Sueſſionico* in beneficio habuit, quas, ad partes Childeberti cum tranſiiſſet, baſilicæ S. Medardi Chilpericus contulit. Teſtis eſt

O Gre-

(*o*) In *actis SS. Bolandi* T. v Maji, pag. 50, nota b.

(*p*) Ibidem pag. 49.

(*q*) Ibid. pag. 50.

(*r*) Vox *ſala* Francis domum denotavit. Exempla dabit *Cang. gloſſar.* hac voce.

Digitized by Google

Gregorius Turonenſis (*s*): „Godinus, qui a ſorte Sigeberti ſe ad „ Chilpericum transtulerat, & multis ab eo muneribus locupletatus eſt, caput belli iſtius fuit; ſed in campo victus, primus „ fuga dilabitur. Villas vero, quas ei rex a fiſco in territorio „ Sueſſionico indulſerat, abſtulit, & baſilicæ contulit beati Medardi.„

Siggo, Sigeberti regis, poſtea Chilperici, *referendarius*, terras ſalicas in Sueſſionico territorio habuiſſe dicitur, quas cum partes Chilperici deſeruiſſet, idem rex Anſualdo dedit: „ Siggo „ quoque referendarius, qui annulum regis Sigeberti tenuerat „ & ab Chilperico rege provocatus erat, ut ſervitium, quod tempore fratris ſui habuerat, obtineret, ad Childebertum regem, „ Sigeberti filium, relicto Chilperico tranſivit, *reſque ejus*, quas „ in Sueſſionico habuerat, Anſualdus obtinuit.„

Sunnegiſulus comes ſtabuli & *Gallomagnus referendarius* ſub Childeberto, rebus, quas a fiſco meruerant, privati, in exilium miſſi ſunt. Interceſſione regis Guntramni revocati ea tantum bona a Childeberto receperunt, quæ propria habuerant, qua de re Gregorius Turonenſis (*t*): „ At vero Sunnegiſilus & Gallomagnus privati a rebus, *quas a fiſco meruerant*, in exilium retruduntur. Sed venientibus legatis, inter quos epiſcopi erant, „ a rege Guntchramno, & petentibus pro his, ab exilio revocantur: quibus nihil aliud eſt relictum, niſi quod *habere proprium* „ videbantur.

Wan-

voce. Terræ itaque ſalicæ ſunt, quæ ad domum pertinent, ſuſtentandæ familiæ deſtinatæ. Hoc ſenſu terræ, domibus regiis vel palatiis adjectæ, ſalicæ vocantur. Eodem fere modo palatini *ſalici* dicti ſunt. In placito a. 860, quod ex Mabillonio ſupra p. 94 ſin. produximus, Adelbertus *perſona ſalica* dicitur.

(*s*) Lib. v, cap 3.

(*t*) Ibid. L. VIII, cap. 21.

Digitized by Google

Wandelinus nutritor Childeberti regis multa ex fiſco meruerat, quæ eo mortuo ad fiſcum relata ſunt (*u*).

Aletramnus comes in beneficio & proprietate habuit in pago Laudenſi villam Resbacis, ſuper fluvium Resbacis, videlicet manſos quinquaginta & eccleſiam unam cum dote in honorem S. Martini, & in ipſo pago in villa Altrippia manſos quadraginta cum eccleſia una ſuper fluvium Eſera. Literæ datæ ſunt „ Indict. „ VIII, anno IIdo regni domini Hludovici glorioſiſſimi Regis (*x*). Comitum pagenſium.

Burchardus comes locum proprietatis regiæ Bingenheim & Echecila, habentem plus minus manſos CLXXXVIII, ſitum in pago Wetereiba, cum domibus, ædificiis, terris cultis & incultis, vineis, ſylvis &c. in beneficio habuit, quod a. 817 Ludovicus Pius imp. eccleſiæ Fuldenſi donavit (*y*).

Gerhardus comes beneficium habuit regium in pago Loganaha ſub eodem Ludovico, cujus licentia a. 832 manſum unum & dimidium de ſylva permutavit cum manſo uno terræ arabilis (*z*).

Adelberto cuidam fideli ſuo quasdam res, quas in pagis Wormatienſi & Cunigesſunteri jure beneficiario poſſederat, in villa Horagaheim manſum dominicatum & alios quinque manſos ad eum pertinentes, & in villa Waldorſa dimidium manſum & mancipia tria, cum domibus, cæterisque ædificiis &c. idem cæſar in proprium conceſſit (*a*).

O 2 *Sige-*

(*u*) Ibid. cap. 22.

(*x*) Exhibet has literas *Bouchet veritable origine de la maiſon de France, Preuves* pag. 134.

(*y*) *Schannat. Tradit. Fuldens.* n. 299.

(*z*) *Joannis ſpicileg. tabularum veterum* p. 439.

(*a*) Ibidem p. 441.

Digitized by Google

Sigehardus comes in villa Heitungesfelden ſive Hengesfelt ad ſpatium vitæ ſuæ beneficium habuit, quod ipſius precibus permotus Ludovicus Pius eccleſiæ Fuldenſi a. 856 tradidit (*b*).

Reginaldi comitis fiſcum Cormiliæ in pago Vilcaſſino Carolus, Galliæ rex, Gailino cuidam ſuo fideli a. 842 donavit (*c*).

Comitum palatin.

Sed de ipſis quoque comitibus palatinis teſtimonia ſuperſunt. Judicio Caroli Calvi (*d*) *Fulco* & *Ragenarius vaſſi dominici* & *comites palatii* ſubſcripſerunt.

Ansfridus comes palatii a Lothario II rege in pago Hattuarienſi, in villa Geizefurt, ſuper fluvium Nerſe, manſos quatuor, cum omnibus ſuis appenditiis, terris cultis & incultis &c. & in pago Laumenſi, in villa Sodeja, ſuper fluvium Geldione, manſum unum, cum omnibus ad ſe pertinentibus &c. quæ antea in beneficio habuerat, a. 856 in proprietatem accepit (*e*).

Cum itaque Otto I imperator Hermanno dignitatem comitivæ palatii contuliſſet, ipſi quoque more recepto plures terras ſalicas in proprietatem vel feudum haud dubie contulit. Nimium vero veteris Palatinatus limites amplificant Freherus (*f*) &, qui eum ſequitur, Tolnerus (*g*). Pipinorum enim majorum domus, a quibus comitum palatinorum ad Rhenum originem derivant, hæreditatem, latiſſime ad utramque Rheni ripam ſeſe extendentem, poſſediſſe, & ab ipſis Rheni oſtiis, in infimam Germaniam, qua ſe in mare exonerat, ad ejus fere fontes usque longe lateque imperaſſe

(*b*) *Tradit. Fuldens.* p. 476 ſeq.

(*c*) *Mabillon de re diplom.* L. VI, n. LXXXIII.

(*d*) *Baluzii Miſcellan.* Tom. III, p. 130.

(*e*) *Tolneri cod. dipl. Palat.* n. 8.

(*f*) *Originum Palat.* P. II, cap. 3.

(*g*) *Hiſt. Palat.* cap. VII, p. 176.

Digitized by Google

peraſſe comites palatinos aſſerunt. Verum plane incerta ſunt, quæ de Pipini hæreditate aſſeruntur, & de Ludovico Pio imperatore annales Metenſes (*h*) referunt, „ quod fuerit in tantum lar-„ gus, ut villas regias, quæ erant patris ſui & avi & tritavi, „ fidelibus ſuis tradiderit in poſſeſſionem ſempiternam. „ Accidit Palatinatui, quod omnibus reliquis imperiis accidiſſe legimus, ut a parvis profecta initiis, ad eum, quo hodie ea conſpicimus, ſplendorem aſcenderint.

Ad antiquas poſſeſſiones comitum palatii pertinent comitatus & jus Nemoris. Hermannus, comes palatii, dominus Nemoris fide manuſcriptorum Brouwillerenſium a Gelenio (*i*) vocatur. Nemus hoc ſylva eſt prope Coloniam, quam ex ſua magnitudine Velam dictam Brouwillerenſis (*k*) aſſerit. Ad ſylvam hanc ſitum erat prædium *Brauwiller*, in quo monaſterium Ezo, Hermanni filius, extruxit, idque de bonis ſuis largiſſime dotavit. In diplomate Henrici III (*l*) imp. quo donationem factam confirmat, nominantur „ Loevenick, Vremyrsdorf, Kunigsdorf, „ Danswilre, Gleſene, Kirdorf, Sindere, Mannſtede, Rhindorf, „ Slenderhagen; ſylvæ Widehorn, Haneputz, Aſpe & Brom; „ prata ad Tomburg & Arneſam (Erſam) fluvium & dimidia pars „ nemoris ſive Velæ. „ Ipſa Vela ſylva inter Ezonem & Ezelinum, Hermanni filios, diviſa fuit. Partem ſuam Ezo comes palatii monaſterio Brouwillerenſi, Ezelinus monaſterio S. Cornelii in feudum conceſſit (*m*). Jus nemoris ſeu bannum regium, quo

Comitatus Nemoris.

(*h*) Ad a. 837, apud *Duchesne ſcript. hiſt. Franc.* T. III.

(*i*) *De magnitud. Coloniae* p. 315.

(*k*) *Act. SS.* T. V Maji pag. 49.

(*l*) In *Tolneri codice dipl. Pal.* n. XXX.

(*m*) Vid. idem dipl. l. c.

ſylva hæc munita fuit, innuere videtur, eam ex prædiis ſalicis ad Hermannum perveniſſe.

Comitatus alii &c.

Comitatus Aifliæ eidem Hermanno adſcribitur in contractu Vdonis cujusdam cum Thietfrido, S. Maximini abbate (*n*), ubi hæc verba: „ Dedi vero eis e contra in pago Aiflenſi, in *comi-* „ *tatu Herimanni*, quinque manſos. Anno incarnationis Dominicæ „ DCCCCLXXVIII, Ind. VI, an. vero regni domini Ottonis XV, im- „ perii VIII.

Hermannum palatinum comitem pagum Bunechgau poſſediſſe, qui eſt Bonnenſis, ex diplomate Ottonis III (*o*) diſcimus: „ Otto divina clementia rex. Omnium fidelium noſtrorum devotio- „ ni pateat, quemadmodum nos Hilibaldo Wormatienſis eccleſiæ „ venerabili epiſcopo dedimus VIII manſos, in villa Brunenheim „ dicta ſitos, & ſi aliquid ſupereſt *in pago Bunechgou vocato ac* „ *comitatu Herimanni palatini comitis* jacentes. D. idus Junii an- „ no Dominicæ incarnationis DCCCCXCIII, Ind. VI, anno autem „ tertii Ottonis regnantis decimo. Actum Nordhuſam.

Illa *umbrarum foetu* initio diſplicebant, ſcribendumque credebam vel *fotu*, vel, quod malebam, *coetu*. Sed nunc per *foetum umbrarum* intelligo fructus arborum. Pro *ultimus ignis* erat, qui vellet *lucidus*, aut *fulgidus ignis*. Aſt *ultimus ignis* ſignificantius. Ait nimirum, nec ignem ibi reperiri, unde rogus ſaltem accendi poſſit, & mortui exſulis cadaver in cineres reſolvi. Atque ita in hoc quidem epigrammate recepta lectio conſiſtere poteſt. Omnino vero luxatum eſt illud, quo invehitur in hominem jlocaliter maledicum:

> Dum ſua compoſitus nondum bene concutit arma
> Miles, *et* e noſtra lancea torta manu
> Bellus homo, & *valide* capitalia crimina ludis,
> Deque tuis manant atra venena jocis.
> Sed tu perque jocum dicis *vinumque*, quid ad rem,
> *Si* plorem? *riſus* ſi tuus iſta facit.

Horum primum diſtichon una literula immutata ſic conſtituendum:

> Dum ſua compoſitus nondum bene concutit arma
> Miles, *en* e noſtra lancea torta manu.

X Hoc

Hoc ait: dum gravioris aliquis armaturæ miles ad te invadendum accingitur, en interea, ne quid tempori pereat, a nobis hanc lanceam habe. Inſequens diſtichon non majore mutatione refingo,

Bellus homo *es* valide, capitalia crimina ludis,
Deque tuis manant atra venena jocis.

Valide, id eſt *valde*, quod ex priore contractum. Tertium tandem ita lego:

Sed tu perque jocum dicis *riſumque*. Quid ad rem,
Qui plorem? riſus ſi tuus iſta facit.

Homo, inquit, admodum ſane bellus & lepidus es, qui velut ludendo capitalia alicui crimina objicias. Tu autem ſic te excuſas, quod iſthæc per jocum riſumque, neutiquam ex animo, loquaris. Enimvero quid attinet, *qui*, id eſt, quomodo ego *plorem*, dum a tuo riſu iſte mihi fletus oriatur?

In ſexto epigrammate, cujus initium *Criſpe meae vires* (ex Virgilii *Aeneidos* I. *Nate meae vires, mea magna potentia ſolus*) hæc habentur deſperâtiſſimi ſenſus:

Criſpe: fides dulcis, *placidique* acerrima virtus:
Cujus Cecropio pectora melle madent.

Quid hoc, per omnes muſas! eſt, aliquem *fidem dulcem*, ac *placidi acerrimam virtutem* ſalutare? Ingenium oportet in exſilio amiſerit noſter, ſi tam inſulſe ſcripſerit. Sed abſit, id credamus. Scribarum hæc inſulſitas, non Senecæ eſt: qui ita a manu ſua dederat, quod mea fide ſpondeo:

Criſpe, *fidis* dulcis, *Latiique* acerrima virtus,
Cujus Cecropio pectora melle madent.

Fidis, id eſt lyræ; unde *fidicen*. Laudat ergo Criſpum ſuum a carminum elegantia, tum Latina Græcaque literatura. Sicuti ille *Romanæ fidicen lyrae* ad Mæcenatem ſuum, *docte ſermo-*

nes

Digitized by Google

nes utriusque linguae; & propius ad Senecam Martialis, de Deciano:

Si quis Cecropiæ madidus Latiæque Minervæ
Artibus, & vera ſimplicitate bonus.

Et hæc de epigrammatibus Senecæ. Nunc, quem partim philoſophantem, partim querentem audivimus, etiam ludentem audiamus. In mortem Claudii imperatoris ſcripſit ſatyram, cum, ut puto, veterem injuriam vindicaturus, tum &, uti Neroni ſuo gratificaretur, qui de mortuo vitrico dicere ſolebat, *Claudium inter homines morari deſiiſſe*, producta, ut Suetonius addit, prima ſyllaba, ſtultitiam illius deſignans: Græcis quippe Μωρὸς *fatuum* indicat. Igitur Seneca, apotheoſin Claudii & ſtoliditatem ſimul irriſurus, ſatyram ſuam *apocolocyntoſin* inſcripſit, quaſi Latine *incucurbitationem* dixeris. Fatui enim cum *cucurbitis* comparantur, & *cucurbitae caput* ſtultum refert. Juvenalis:

Jam dudum caput hoc ventoſa cucurbita quærit.

Eoque ſenſu in jure Longobardico vaſallus dicitur *concurbitare* dominum, ſi uxorem ejus contrectaverit: quod iſto modo dominum ceu fatuum habeat, aut fatui inſtar ridiculum reddat. Atque hinc forte boni iſti viri,

— capita alta ferentes
Cornibus arboreis, —

magis quam a *cuculo*, denotantur. Aliter & *ludus de morte Claudii Caeſaris* hæc Senecæ ſatyra appellatur. In eo itaque ludo, feſtivo quidem, ſed neſcio, an philoſopho ſatis conveniente, primo Apollinem inducit, multa ad Parcas de Neronis felicitate ac longævitate non ineleganti carmine fabulantem: quibus deinde iſta ſubjungit, ut nunc quidem legimus: „ Hæc Apollo. At „ Lacheſis, quæ & ipſa homini *fortiſſimo* faveret, fecit, & plena

„ orditur manu, & Neroni multos annos de ſuo donat.„ Nihil autem minus hic agit Seneca, quam ut *fortitudinem* Neronis ſui prædicet: immo potius *formam* hominis & *fortunam*. Nec umquam ſe Nero a fortitudine oſtentaverat. Quare legendum eſt aut *homini formoſiſſimo*, (quod nonnemini quoque, ſi bene memini, in mentem venerat) aut *fortunatiſſimo*. Neque ſane ad ſenſum intereſt, utrum legas; niſi forſan, quia hic de Lacheſi, atque adeo femina, ſermo, *formoſiſſimo* præferendum videatur. Scripturæ compendium, quod in mſc. obtinere ſolet, (uti novimus) uni vel alteri eorum fraudi fuit.

Pergit autem Seneca, poſtquam aliis modis exſibilarat Claudium, & hæc addere: „ Tum Jupiter Herculem, quia to-„ tum orbem terrarum pererraverat, & noſſe videbatur omnes „ nationes, jubet ire & explorare, quorum hominum eſſet. „ Tum Hercules primo ſane adſpectu perturbatus eſt, *ut qui et-„ iam non omnia monſtra timuerit*; ut vidit novi generis faciem, „ inſolitum inceſſum, vocem nullius terreſtris animalis, ſed (qua-„ lis eſſe marinis belluis ſolet) raucam & implicatam, putavit ſibi „ tertium decimum laborem veniſſe, diligentius intuenti viſus eſt „ quaſi homo.„ Ea, *ut qui etiam non omnia monſtra timuerit*, manifeſtiſſime perverſa ſunt: omnis enim nexus cum prioribus & ſequentibus deficit. Ne vos longius morer; ita mihi apparet ad auctoris mentem inſtituenda lectio: „ Tum Hercules „ primo adſpectu ſane perturbatus eſt, ut qui etiamnum Junonia „ monſtra timuerit, &, ut vidit novi generis faciem, —— pu-„ tavit ſibi tertium decimum laborem veniſſe. „ Dicit Herculem, tam inopinato monſtruoſi hominis, ſive Claudii, aſpectu quodammodo perturbatum, putaviſſe, a noverca ſua Junone, quam in cœlum ſibi recepto dudum placatam crediderat, nova etiam nunc monſtra imminere, atque adeo tertium decimum laborem ſubeundum ſibi eſſe. *Etiam non* & *etiamnum* tam parum inter ſe in ſcriptis codicibus differunt, ut iſtiusmodi emendationis vix ratio

tio reddenda videatur. *Junonia* autem in *omnia* tranſiiſſe per compendium ſcripturæ facillime potuit, imperitia inprimis librarii accedente; cui concurſus literarum *m* & *in*, quas ægre diſtinguas, majorem aberrandi anſam præbuit. De Junone Euryſtheum ſtimulante ad tot labores Herculi imponendos, quibus deinde, adverſus Saturniæ mentem, cœlum meruerit, tralatitia omnia ſunt. Deianira in epiſtola ad Herculem, apud Ovidium:

Hoc velit Euryſtheus, velit hoc germana tonantis.

Denique, per incidentes ejusdem pene ſoni ac literarum ſyllabas in *timuerit*, &, quod iſtud inſequitur, *ut*, nihil mirum eſt, ſi, vel ex dictantis, vel excipientis, vel prætervidentis errore, copula *et* exciderit. Quicquid ſit, ita legendum omnino eſt, ſi ſenſum habere velimus Senecæ convenientem. Qui cum mſc. codicibus paullo magis familiares ſunt, huic correctioni, ſat ſcio, ſavebunt.

In eodem autem Senecæ ludo ad ſuperorum ſenatum hæc Auguſtus ſermocinatur: „ In hoc terra marique pacem peperi? „ ideo civilia bella compoſui? ideo legibus urbem fundavi, opi„ bus ornavi? Et quid dicam P. C. non invenio. „ Pauciſſimi advertent, hic aliquid emendandum. Ac ſane nihil proprie emendandum eſt. Legendum tamen aut potius pronuntiandum ita: *Et — quid dicam, patres conſcripti, non invenio,* interpunctione poſt *et* poſita. Eſt namque abrupta ſententia, indicium animi commotioris. Neptunus in notiſſimo Virgiliano:

Quos ego. Sed motos præſtat componere fluctus.

Ubi conſulatur Servius. Sub finem tandem lepidiſſimi libelli hæc apud Senecam legas, quibus inſanum aleæ ſtudium in Claudio, poſt tot alia, taxat: „ Tum Æacus jubet illum alea lu„ dere pertuſo fritillo. Et jam cœperat fugientes ſemper teſſeras „ quærere, & nihil proficere.

Nam quoties miſſurus erat reſonante fritillo,
Utraque ſubducto fugiebat teſſera fundo,
Cumque recollectos *auderet* mittere talos,
Luſuro ſimilis ſemper, ſemperque petenti
Decepere fidem —

In quibus nihil diſplicet, præter *auderet mittere.* Nulla enim audacia Claudii notatur, ſed ludendi aviditas. Quare ſic ſcribendum:

Cumque recollectos arderet mittere talos.

Niſi quis *gauderet* malit.

Cornelius Celſus.

Ne Seneca ſic ſolus obambulet, comitem illi Aurelium Cornelium Celſum medicum dabo: philoſophi enim & medici propemodum conſanguinei ſunt, ſaltem eſſe deberent. Ex eo igitur unum dumtaxat locum nunc, ut mihi blandior, ſaniorem reddam, ipſi adeo medicinæ profeſſori medicinam facturus.

Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo!

Celſus itaque ubi agit de ulcere (*n*), poſtquam de eo, quæque ad id pertinent, nonnulla diſſeruiſſet, hæc porro ait: „ Fitque „ ex his ulcus, quod ἑρπηϑα ἐσϑιομενον Græci vocant, quia „ celeriter ſerpendo penetrandoque usque ad oſſa vorat. Id ulcus „ inæquale eſt, cœno ſimile, ineſtque multus humor glutinoſus, „ odor intolerabilis, majorque, quam pro modo ulceris, inflam- „ matio.„ Quicumque ad Celſum ſcripſerunt, iſtud *cœno ſimile* pro corrupto habent: nam quid illud *coeno ſimile* ad *inaequale* facit, cui illuſtrando inſervire debebat? Alius igitur *ovo*, vel *cavo ſimile* legit. Alius ſic transponit verba, *id ulcus inaequale eſt*, *ineſtque multus humor glutinoſus*, *coeno ſimilis.* Almelovenius noſtras

(*n*) *De medicina* Lib. v cap. 28.

Digitized by Google

ſtras ita ait: *Ego hactenus, quamvis locum ſanum non putem, nihil muto.* Id quod aliis verbis dixiſſet, *mutarem, ſi mutandum ſcirem.* Mihi ita videtur, absque ulteriore formula, emendandum: *id ulcus inaequale eſt, ſevo ſimile.* *Sevum* proprie vocatur illa pinguedo, quæ animalium omento circumfunditur, atque inæqualioris formæ eſt, Græcis *ςεαρ*. Scribitur quoque *ſebum, ſepum, ſipum.* Huic ait ulcus iſtud eſſe ſimile, & reſpondet egregie conjecturæ meæ, quod ſequitur, *ineſtque multus humor glutinoſus.* Vix vero hæc correctio dici, vel mutatio meretur: *c* enim & *s*, ut alias diximus, promiſcua fere in mſc. ſunt: ſic apud Vegetium *de mulo-medicina* (*o*), pro *ſebi caprini*, inter variantes, *cepi* legas: diphtongi item *ae* & *oe* in iisdem mſc. a ſimplice *e* non differunt, *n* autem & *u* tam parum, ut vix dignoſcas.

Calamum depoſueram alia acturus, quum incido in veterem familiarem meum, quippe ante hos viginti annos, in *ſpecimine critico*, multis jam locis a me emendatum, auctorem inquam *collationis legum Moſaicarum & Romanarum*, qui in Antonii Schultingii *juriſprudentia antejuſtinianea* noviſſime comparet, & a doctis ſeculo quinto adjudicatur: eſt autem quantivis pretii, quod plura nobis antiquiorum juriſconſultorum fragmenta ſervarit, quæ in Juſtinianeo juris corpore vel fruſtra quæras, vel mutila & interpolata inveniuntur. In eo (*p*) offendi turpiſſimam mendam ex gloſſemate natam: cujusmodi unum alterumque exemplum in anteriore commentatione dedi. Quare hoc tertium accedat. „ Ulpianus (ait) lib. VIII de officio proconſulis ad le- „ gem Juliam de vi publica & privata: eadem lege quibusdam „ teſtimonium omnino, quibusdam interdicitur invitis, capite „ octogeſimo VII & capite octogeſimo octavo in hæc verba his „ verbis: Hominibus hac lege in reum teſtimonium dicere ne li- „ ce- Ulpianus.

(*o*) Lib. II, cap. 64. Conf. a me notata in *ſpecim. critico* pag. 142.

(*p*) Tit. IX, § 2.

„ ceto, qui &c. „ In his quam putida ſint *haec verba his verbis*, vel pene cæcutiens viderit. Vir eximius (*q*), qui non ita pridem diſſertationem ad hanc collationem ſcripſit, & mei quoque, ſed nimio cum honore, meminit, ſic pronuntiat: „ *in haec verba* „ *his verbis* quid ſibi velit neſcio, vide, an malis *is haec verba* „ *inſeruit.* Illa certe non multum a litteris expreſſis abeunt. „ Longius recedit Pithoei conjectura. „ At nulla hic conjectura opus eſt: quum evidens ſit, illis *in haec verba* ſuperſcriptum a gloſſatore fuiſſe *his verbis*, ut ita locutionem paullo elegantiorem, & ſuo ævo minus communem, vulgatius explicaret: quæ interpretatio ab aſino quodam deſcriptore in textum mox intruſa eſt.

Acta S. Caſſiani.

Atque ita jam de philoſopho, medico & jurisconſulto hac exercitatione critica meriti fuimus. Ne vero theologos neglexiſſe exiſtimer, ſcriptorem quoque eccleſiaſticum ad partes vocabo, & illum aliquanto inferioris ætatis, ut appareat non ita me veterum Romanorum deliciis immerſum, quin & iſtos auctores interviſam. Apud Juſtum Fontaninum *appendice ad antiquitates Hortæ* (*r*) habentur *acta S. Caſſiani metro deſcripta:* quorum carmine I. ita editur:

At tuba terribilem ſonitum cum protulit iſtum,
Agmine diſcipulum Chriſti *pangente* triumphum.

Pro *pangente* repono *clangente*, quod ad tubam facit. *Diſcipulum* genitivus pluralis eſt. Sequitur:

Tunc cœpere viri divino flamine pleni
Surdis auditum, cœcis imponere viſum,
Attactum mancis, greſſum concedere claudis,
Dæmonas expelli, functis halitum reparari.

Legen-

(*q*) *Hermannus Cannegieterus*, digniſſimus *Henrici* filius.

(*r*) Pag. 343 ſeqq.

Legendum verſu ultimo, ſi ſenſum velimus,

Dæmones expelli, functis halitus reparari.

Ut autem hic *viri divino flamine pleni,* ita Althelmus, in *laude virginitatis*, de S. Joanne,

Edidit affatim ſacro ſpiramine plenus.

Et appoſite ad hunc locum Cyprianus, in libello *de idolorum vanitate:* „ Cum — dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos „ reſtringeret, — illuminaret cœcos, claudis greſſum daret, „ mortuos rurſus animaret.„ Porro in carmine ſecundo:

Hoc cum Memphiticis lumen radiaſſet in oris,
Nactum ſyrophanis ponunt, illudque capeſſunt.

Nactum omnino nihil eſt. Fontaninus *forte*, ait, *natum.* Ego ſcribo, *noctem ſyrophanis ponunt.* Hanc enim *noctem* opponit *lumini* Evangelii.

Multa alia in iis actis corrigenda reſtant: aſt nolo nimius eſſe; & forte vel ſic fui.

III.

Ad Perſii de Jano locum & Valerii Catonis diras.

Aulus Perſius Flaccus, qui temporibus Neronianis vixit, & *ſatyrarum* librum reliquit, quo, ut Fabius Quintilianus ſcribit, *multum & verae gloriae meruit*, his proximis Januarii kalendis in memoriam mihi revocabat, quæ in *prima ſatyra* (*s*) de Jano bifronte noſtro non illepide ait: Aulus Perſius

O Jane, a tergo *quem* nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,
Nec linguæ, quantum ſitiat canis Appula, tantæ.

Y Quo-

(*s*) Verſ. 72. ſeqq.

Quorum quidem verborum ſententia aperta eſt. Alludit enim ad geſticulationes, quæ in alicujus opprobrium a tergo fieri ſolebant per ſanniones, imitando vel ciconiæ roſtrum crebro terram pulſantis, vel auriculas aſini digitis effingendo, vel lingua denique, quam longiſſime poterat, exſerta. Abs iis inquit Janum immunem eſſe, quippe gemina facie præditum, &, ut ex noſtrorum academicorum ſymbolo loquar, *utrimque rimantem.* Neque dubium eſt, quin hunc locum reſpexerit S. Hieronymus, in *epiſtola ad ruſticum monachum*, ubi de aſſentatorum vulgo: „ Cum te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint, ſi ſubito reſpexeris, aut ciconiarum deprehendes „ poſt te colla curvari, aut manu auriculas agitari aſini, aut „ æſtuantem canis protendi linguam. „ Ego hoc tantum addo, in Perſio levi quadam emendatione ita legendum videri:

O Jane, a tergo *quoi* nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

Videtis, quam illud *quoi* tum ſignificantius ſit, tum & ad *imitata* in ſequenti verſu appoſite magis referatur. *Quoi*, id eſt, in cujus ludibrium nemo manu efformavit ciconiæ roſtrum terram identidem percutientis, aut ſummas cilli auriculas imitatus fuit. *Quoi* veteres Latini pro *cui* dicebant; ſolentque nonnumquam ſatyrici antiquiora ſectari. Catullus in dedicatione *epigrammatum* ad Cornelium Nepotem:

Quoi dono lepidum, novum libellum.

Et ante eum Ennius:

Ingenium quoi nulla malum ſententia ſuadet.

Atque ita paſſim. *Pinſare*, *pinſere* & *pinſire* quid ſit, commentatores ad Perſium edocent. Nimirum quatere, ac pulſare notat. Unde, quem dicebam, Ennius *terram pinſunt genibus*, in quo & alibi *humum pinſire* habes. Proprium autem piſtorum eſt, qui

qui & inde, cum *piſtillo*, nomen acceperunt. Ridiculam porro geſticulationem illam, qua in ciconia ludebant, explicat nobis Cornutus, ſeu quisquis ex veteribus in Perſii ſatyras commentarium ſcripſit, eruditum ſane, modo non optimi viri operæ a ſcribarum vel truncationibus, vel infarcimentis, tum continuis pariter errorum portentis, tantum decoris priſtini abſceſſiſſet. De quo jam Elias olim Vinetus conqueſtus fuit, & quam vere vel quæ in hunc locum ſub ejus titulo circumferuntur, palam faciunt. Igitur ad verba, *nulla ciconia*, ita hodie commentantem legimus: „ Quam manu formare ſolent irriſores, qui unitate col-„ ligatos digitos agunt, ad inferiorem partem inclinata, ſimilitu-„ dine ciconini roſtri: quod cum præſentant poſt tergum motantes, „ derident quos volunt. „ Quæ ſi cuiquam corrupta eſſe probare velim, idem fecerim, ac ſi noctu tenebras eſſe oſtendero. Potius ergo eſt, ut ajam, quomodo emendanda ſint. Quod ſic credo recte fieri poſſe: „ Quam (ciconiam) formare ſolent irriſores, qui „ in unitatem collatos (ita, pro *colligatos*, mſc. exhibet), digitos „ agunt, ad inferiorem partem manu inclinata, ſimilitudine ci-„ conini roſtri: quod cum repræſentant poſt tergum motantes, „ derident, quos volunt. „ Appello omnes eos, quibus cum mſc. codicibus paullo interior notitia eſt, an hic nobis nimium indulſerimus. *Praeſentant* mutavi in *repraeſentant*, quod prioris verbi ſignificatio ex Conſtantini demum ævo ſit, noſter autem vetuſtior videatur. Pergit: „ Ideo ſannam Ja-„ nus, ſi a tergo fiat, intelligit, quomodo ciconiam pinſit ma-„ nus, utpote cui nemo per abſentiam detrahere poteſt. „ Iſtud *ciconiam pinſit manus* eleganter, & ex antiqua latinitate dictum eſt, mirumque adeo a librariis intactum manſiſſe. *Manus pinſit ciconiam* aſſimilando ciconiam pinſentem. Ceterum, quæ ſequuntur, *utpote cui nemo per abſentiam detrahere poteſt*, uti ſe explicari patiuntur; ita nequaquam tamen Cornuti arbitror. Denotare nimirum vult geminam Jani frontem. Abſens autem quis eſſe poteſt, etiamſi geminam faciem habeat. Quare vix dubito,

 quin

Digitized by Google

quin ante *abſentiam* vox exciderit, & ſic veniat legendum, *utpote cui nemo per faciei abſentiam detrahere poteſt.* Dixerat videlicet, fannas illas a tergo fieri ſolitas: quod vero Janus noſter & a tergo faciem rectam haberet, hinc jam addit, illi ejuſmodi ridicula non impune facienda eſſe, quippe qui occipitio æque ac fronte oculatus incederet. Videtur autem, ut id addam, ſanna illa, qua per digitorum geſticulationes ciconiam pinſentem exprimebant, in homines incurva cervice, aut tremulo capite obambulantes, initio excogitata fuiſſe. De Jano ſic recte Antonius, ſive alius ſit auctor, (Ludovicus Antonius Muratorius (*t*) Paulinum Nolanum eſſe voluit) in carmine *adverſus gentes* (*u*):

Rex fuit hic Janus, proprio qui nomine fecit
Janiculum, prudens homo, qui cum multa futura
Poſſet reſpicere, hunc duplici pinxere figura,
Et Janum geminum veteres dixere Latini.

Ubi, pro *reſpicere*, ſcribendum eſſe *præſpicere*, vel *proſpicere*, ex ſenſu admonemur. Venit hac mihi occaſione in mentem dictum, quod Alphonſo ſapienti, Caſtiliæ regi, a quibuſdam attribuitur, ſe, ſi Deo in creatione adſtitiſſet, auctorem futurum fuiſſe, ut ex duobus, quos nunc in fronte habemus, oculis, unus homini in ſincipite, alter in occipite locaretur. Quod ſi ille umquam protulit, ita diverſiſſimo certe ſenſu, & occaſione ex facto enata dixiſſe cenſendus eſt. Quî enim de rege vere ſapiente aliter opinari queas? Sed jam pergamus in ipſo Perſio. Ut Venuſini vatis effatum eſt,

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ

Eodem hîc modo Perſius noſter inſtituit, qui non contentus feſtivum hoc nobis Jani ſchema dediſſe, ipſa illa opportunitate uti-

(*t*) T. 1. *Anecdotorum.*
(*u*) Vers. 68.

Digitized by Google

utitur nobilitatem Romanam admonendi, quandoquidem non ea felicitate polleat, ut occipiti facie, cum Jano, gauderet, cavendum igitur ſedulo eſſe abs omnibus talibus, quæ poſticam ſannam conciliare queant. Idque ſic prorſus Romane exprimit, ac tam eleganter, ut ſcribi potuiſſet, meo quidem arbitrio,

> Vos o patricius ſanguis, quos vivere fas eſt
> Occipiti cœco, poſticæ occurrite ſannæ.

Neque in his quidquam eſt, quod explicatione indigeat. Adjuvetur tamen hic quoque Cornutus, vel qui ejus nomen gerit: in cujus commentario ad verba, *vos o patricius ſanguis*, ita vulgo viſimus: „ Vos igitur nobili loco nati (quorum vita *ex* * debet eſſe) qui videre quid a tergo fiat non curatis: date operam, „ ut non derideamini. „ Aſteriſcus poſt *ex* in editionibus lacunam deſignat: quam ſic tamen facile ſuppleveris: „ Vos igitur „ nobili loco nati (quorum vita exemplum debet eſſe) &c. „ Atque hæc de Perſio, & commentatore illius: quem ut ego non longiſſime a Perſii ætate remotum credo, ita vero a Cornuto philoſopho, præceptore poëtæ noſtri, & ſatyrarum, poſt immaturum ejus obitum, editore, alium ſemper exiſtimavi. Sed de eo critici videant.

Cum poëta ac deo opellam hanc occœpi; in poëta ergo finem illi imponam, eidem & deam, non infeliciter, ni fallor, reſtituturus. Is eſt Valerius Cato, qui Marii & Syllæ ætate claruit, carminum æque ac grammatices laude inclytus. Amiſerat autem iſta bellorum civilium tempeſtate villulam ſuam, quæ in agrorum diviſione neſcio cui militum obvenerat. Itaque ad extremas anguſtias redactus ſcripſit carmen, quod ex argumento *Diras* nominavit, quoniam in eo villam iſtam quibusvis imprecationibus devovet. Inter cetera vero queritur ibi, abs amica ſua, quæ ruri illo degebat, avulſum ſe agere, eaque de cauſſa cum **Valerius Cato**

Digitized by Google

diis expoſtulat, & illis amores objicit, quibus ipſi identidem indulſerant. Veluti, cum hæc ad Jovem (*x*):

> Jupiter, ante ſui ſemper mendacia furti,
> Cum Junone prius, conjux quam dictus uterque eſt,
> Gaudia libavit, dulcem ſuratus amorem.

Et, poſt alia (*y*):

> Non aurora novos etiam ploravit amores,
> Atque rubens oculos roſeo velavit amictu?

Ac tandem addit:

> Talia cœliculæ. Numquid minus aurea promo?
> Ergo, quod deus, atque heros, cur non minor ætas?

Perſpicua hæc, ac luce clariora, præterquam in iis *aurea promo.* Quid enim hic *promo* facit? quid ſignificat? Chriſtophorus Arnoldus in eruditiſſimo commentario, ſed majoris, ſi auſim dicere, lectionis, quam judicii, hic de voce Coptica *roomi* narrat, quæ virum vel hominem notet, & ſic nos vellet ad heroas ducere. Ego autem, uti iſtam in lingua Coptica notionem veriſſimam non nego, ita nihil in Romano ſermone invenio, quod huc commode ſatis accedat. Ρωμη, ſcio, Græcis *robur* dicitur: nec ipſum illud Romanorum vocabulum multum abit. *Romam* urbem, ſunt, qui & indidem derivent, quam olim *Valentiam* dictam veteres produnt. Et ſane credibile eſt, Romulum potius a Roma, quam hanc a Romulo appellatam fuiſſe, magisque inſtauratorem illum, quam conditorem iſtius urbis dicendum. In Teutonica quoque lingua habemus quædam affinia vocabula. Ita Belgis *room*, *roome*, (Germanis ſuperioribus *raum*) dicitur flos ac pinguedo, & quaſi fortitudo quædam lactis. *Roomer* itidem ſcy-

(*x*) Verſ. 166.

(*y*) Verſ. 175.

ſcyphus vino deſtinatus, ex quo animi augentur: poëta, *tunc pauper cornua ſumit.* Iisdem *roem (ruhm)* laudem & gloriam indicat, quæ fortium virorum propria: *gloria*, ut ille ait, *eſt umbra virtutis.* Sed hæc vero omnia nihil ad Catonem noſtrum. Quem apertum tamen eſt duo hic voluiſſe, primum, uti de cœleſtium amoribus, ac paullo quidem uberius diſſereret, tum autem, coronidis velut loco, propaginem eorum aut heroas attingeret. Id totius loci ſeries planiſſime indicat. Hinc legendum fortean,

Talia cœlicolæ. Numquid minus aurea proles?

Ut dicat: hæc cælicolis egiſſe non indecorum fuit: at numquid minus aurea eorum proles, ſive in aurea olim ætate heroes iſti egerunt? ergo, quod diis atque heroibus licuit, cur minori ætati interdicatur? Atque hæc lectio nihil habet, cur applaudi illi non poſſit. Neſcio tamen, an non magis ad Catonis mentem ſic ſcribatur:

Talia cœlicolæ. Numquid minus aurea Pomo?

Pomo erit celebratiſſima illa poëtis hortorum dea, aliter *Pomona* dicta, quomodo & hic legi licet, ut ultima ſyllaba in ſequentem verſum incidat, quod Virgilio, Horatio & aliis poëtis factitatum fuit. Cui autem incogniti Pomonæ ac Vertumni dei amores, tum ejusdem & Pici, Latinorum regis, ex Circes deinceps zelotypia in picam transformati? Iſtiusmodi autem hortenſia & ruſtica numina, magis ad heroum & ſemideorum claſſem pertinebant, quam ad deos proprie dictos. Jupiter in Ovidii primo *metamorphoſeos:*

Sunt mihi ſemidei, ſunt ruſtica numina Fauni,
Sunt Satyri, Nymphæque, & monticolæ Silvani:
Quos quoniam cœli nondum dignamur honore,
Quas dedimus, certe terras habitare ſinamus.

Non

Digitized by Google

Non jam addo, poëtam, de rure ſuo loquentem, *Pomonam* jure quodam ad partes vocaſſe, tum & *poma* inter amatoria haberi, ac proprie illis *aurei* epitheton convenire. Conferantur apud mythographos erotica Hippomenis & Atalantæ, Acontii item ac Cydippes. Virgilius *eclogarum* tertia:

Quod potui, puero ſilveſtri ex arbore lecta
Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Et paullo ante:

Malo me Galatea petit, laſciva puella.

Idem *ecloga* octava: — *aurea durae mala ferant quercus* — Et *aurea* vel ob coloris ſimilitudinem, vel ob pulcritudinem: ut apud Naſonem, in *epiſtola Paridis ad Helenam*,

— Gaudet Venus aurea furtis.

Et in *remedio amoris*, non longe ab initio:

— Movit Amor gemmatas aureus alas.

Chryſis, ſive *Aurea*, vulgare apud Græcos & inde apud Romanos, puellarum nomen, in Terentio, Petronio & inſcriptionibus paſſim obvium. Eodem ſenſu *aurea dicta* Lucretius dixit, & *auream fabulam* Plinius in *epiſtolis* (z), ubi Catanæus videri poteſt. Ego in re ſatis nota verboſior nolo eſſe. De *heroibus* porro, præter Arnoldum ad hunc locum, & alios bene multos, copioſe diſputat inſigne literati orbis lumen Gisbertus Cuperus in *obſervationibus*.

Sed jam tempus equum ſpumantia ſolvere frena.

IV.

(z) Lib. 11, *epiſt.* 20 init. Confer Arnoldum *ad Catonis diras* pag. 73, 74, & quæ ad *Catalecta veterum poëtarum* notantur a doctis.

Digitized by Google

IV.

Cur Mercurii & Saturni dies apud Germanos ſuperiores diverſa a Germanis inferioribus appellatione indigitentur?

Ut primum has in oras deveneram; ſicuti neceſſe eſt evenire illis, qui vix pedem antea domo extulerunt; omnia mihi admodum peregrina, atque ægre dico, quam remota apparebant abs iis, quibus olim aſſuefactus fueram.

Inter reliqua vero, & illud mihi mirum accidebat, quod in duobus hebdomadarum diebus obſervabam, illis, quos Latine a Mercurio & Saturno appellamus, quique heic terrarum *Mittwoch* & *Samſtag* indigitantur, vocabulis, non dialecto duntaxat, ſed ipſa ſignificatione a Belgarum loquendi more differentibus. Ibi enim alter quidem eorum *Woensdag* vel *Woonsdag*, alter *Saterdag* nominantur.

Plane vero cauſſæ nihil videbam, cum ceteris diebus, uti apud Latinos, ita & Germanos, a planetis appellatio eſſet; cur in iis, quos dicebam, duobus inde receſſum foret. Dierum nomina.

Nam ut primi hebdomadarum aperte a ſole & luna vocantur; ſic in tertio nomen Martis, æque, ut apud Belgas, inveniebam. Verbo enim *dingen* origine ſua *certandi* & *litigandi* notionem ineſſe ſciebam, atque inde & locum judicii pluribus apud nos locis *de dingbank* adhucdum appellari, ſicuti & litis conteſtationem *een regts-geding*, item concertatiunculas illas, quæ emptores inter ac venditores de rerum pretio interveniunt, etiam nunc *dingen* dici (*a*). Pariter in quinto die Jovem tonitruantem audiebam: quemadmodum in ſexto deam Venerem agnoſcebam, quam Germani *Fretjam* ſalutabant: unde verbum *freyen*, (Belgis *vreyen*) id eſt procari, remanſit. Soli itaque quartus & ſeptimus

(*a*) Talia plura vide in *Chriſt. Haltauſii gloſſario Germanico* pag. 231 ſeqq.

Digitized by Google

mus exercitum me habebant. Ubi vero attentius aliquanto cogitavi; viſus denique mihi ſum diverſitatis iſtius rationes non infeliciter exploraſſe, quas nunc vobiſcum, academici, bona cum venia veſtra, communicaturus ſum. Sed res paulo altius repetenda erit.

Mercurii dies.

Ante omnia autem obſervandum eſt, chriſtianam religionem in ſuperiore Germania, Trans-rhenana certe, aliquot ante ſeculis invaluiſſe, & florentiſſimam dudum exſtitiſſe, quo tempore apud multos hodiernæ inferioris Germaniæ populos alibi vix incunabula illius reperiebantur, alibi ne chriſtianorum quidem nomen ſatis intellectum erat. Idque ex omnibus hiſtoriarum monumentis ita clarum eſt, ut probatione non indigeat, niſi ad ipſam lucem caligantibus (*b*).

Porro & illud æque conſtat, quibus in regionibus chriſtiana ſacra ſemel recepta erant, vel recipi coeperunt, earum ibi antiſtites omnem operam impendiſſe, ut veterum deorum ſtatuæ confringerentur, templa deſtruerentur (*c*), atque omnis illorum memoria, quantum fieri poſſet, aboleretur. Unde tot nobis egregia antiquitatis leipſana vel perierunt prorſus, vel ſic miſerum in modum truncata ſunt, ut Deiphobo Virgiliano comparari queant.

Per totam vero Germaniam (quod item de Galliis Julius Cæſar teſtatur) præcipua quadam veneratione a veteribus iſtarum terrarum habitatoribus *Mercurium* fuiſſe coli ſolitum, ex Taciti *de moribus Germanorum* libello (*c*) manifeſtum eſt. *Deorum*, ibi inquit,

(*b*) Vid. quæ jam de ſua ætate *Tertullianus adv. Jud.* cap. 7, coll. venerabili *Beda hiſtor. eccleſ. gentis Angl.c.* lib. v, cap. 11, 12, & quæ ad eum *Joann. Knippenbergh hiſt. eccleſ. duc. Gelriae* lib. 1, cap. 5.

(*c*) Vid. vel unus *Sulpitius Severus* in *vita S. Martini*, & in *dialogis.* Conf. Cl. *Cannegieterum* patrem in *Poſtumo* cap. 16.

(*d*) Cap. 9.

Digitized by Google

quit, *maxime Mercurium colunt.* Atque iſtud, præter Tacitum, tot monumenta evincunt, quæ in utraque Germania effodiuntur, Mercurio vel ultro dicata, vel ex voto, viſu ac juſſu poſita, qualia & in antiquario Electorali conſpicienda ſunt.

Huic igitur Mercurio, non ſolum in pace, ſed belli etiam tempore, pariter cum Marte, vota faciebant, & hoſtilem interdum aciem utrique iſti deorum ſolemniter conſecrabant: *quo voto,* ut idem Tacitus refert (*e*), *equi, viri, cuncta victa occidioni dabantur.*

Atque eo pertinere putem aram ex marmore, prope Noviomagum Batavorum inventam, quæ & ipſa inter antiquitates ſereniſſimi Electoris aſſervatur, neſcio an umquam edita: cui aliquando & ſtatua affixa fuiſſe videtur, ſed nunc, forte a priorum jam chriſtianorum temporibus, ſic penitus mutila, ut extimæ vix reliquiæ appareant. In illius autem aræ uno latere habetur, MERCVRIO SACRVM, in adverſo, MARTI SACRVM.

Mercurio & *Marti* ſimul votum ſolutum & alibi legere eſt: uti apud Muratorium (*f*), & quidem *Mercurii* nomine præpoſito, ut a Germano dedicatum lapidem exiſtimes.

Huic enim quam præ reliquis diis ſtuduerint, ex eodem Tacito (*g*) liquet: ubi, poſt verba, *deorum maxime Mercurium colunt*, hæc addit: *cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent. Herculem ac Martem conceſſis animalibus placant.*

Non fruſtra autem diligentiſſimus hiſtoricus ait, *certis diebus* humanis hoſtiis Mercurio fieri ſolitum. Et quinam demum illi? Haud dubie, qui ipſi ſacri atque illius nomine denotati erant.

(*e*) Lib. XIII *annal.* 57.

(*f*) Tom. I. *theſ. inſcript.* pag. 49. II.

(*g*) *De mor. Germ.* c. I.

Digitized by Google

Qua occaſione & hoc notandum eſt, quod dudum obſervatum fuit eruditioribus, Romanos ſcriptores Germanorum diis ſuorum deorum nomina indere fuiſſe ſolitos, ex figuræ vel cultus ſimilitudine. Idem in Mercurio obtinebat, qui non eo nomine, ſed longe alio proavis noſtris colebatur.

Et *Wodan* illum, vel *Wodin* dictum fuiſſe, apud doctos in confeſſo eſt, cum ex Paulo Diacono, tum aliis auctoribus, qui apud interpretes Taciti (*h*) excitantur. Ubi & de etymo vocabuli diſputantes conſuli poſſunt: at qui nos quidem nunc non morabuntur. Remotiores ſeptentrionales *Odinum* dixere, qui aliis *Wodanus* vel *Wodinus* erat.

Igitur dies, quo Mercurius olim Germanis honoratus, & humanis ipſi victimis litatum fuit, non alius utique fuit, atque is, qui inter ſex reliquos medium locum occupat, & inferioribus plerumque Germanis, ex antiquo illius nomine, *Woensdag*, *Woonsdag*, *Wonsdag*, *Goensdag*, *Onsdag*, pro dialectorum varietate, appellatur: uti, ex Anglo-Saxonum lingua, apud hodiernos Britannos *Wodnesdey* & *Wensdey* dicitur.

Mirandumne ergo eſt, veteres illos chriſtianos, pio religionis ſtudio ductos, abrogata in hac ſuperiore Germania tam inolitæ, tamque nefandæ ſuperſtitionis infamia, omnem illius memoriam quam penitiſſime deletam voluiſſe, utque, quantum liceret maxime, ex hominum animis evelleretur, dierum ſimul albo *Wodanum* vel *Wodinum* iſtum expunxiſſe: & quum aliud vocabulum non ſuppeteret, diem illum, qualis revera erat, *hebdomadae medium* inſigniviſſe?

Eodem

(*h*) Ad c. l. de *mor. German.* Conf *El. Schedium de diis Germ.* ſyngramm. 1, cap. 5. qui tamen hic admodum jejunus eſt. Quare huic junge *Gerardum Lonium* ad *Nic. Colinii chronicon rhytmicum* locis mox adducendis, cum *Chriſtiani Haltauſii calendario medii aevi* pag. 8, 9.

Digitized by Google

Eodem pietatis fervore & *dies Saturni* priſtinum ſuum nomen amiſit, ac *Samstag* in poſterum nuncupatus fuit, ex eo, quod chriſtiani olim die illo, qui dominicum vel ſolis præcedit, & Hebræis *Sabbathi* dicebatur, ſollemniter convenire ac piis exercitiis vacare ſolebant: ceu, præter alios, ex Joſephi Binghami *originibus & antiquitatibus eccleſiaſticis* (*i*) luculentum in modum adverti poteſt. Itaque *Samstag* &, uti apud *Tolnerum* (*k*) invenio, *Sammestag*, (cui reſpondet Gallicum *Samedi*) quaſi dies *conventus* aut *congregationis* eſt: ſicuti in veteri Pſalterio apud Lipſium (*l*) *ſynagoga* per *ſammung* explicatur. Cujus vocabuli plurima hodiedum veſtigia ſuperſunt (*m*). Quumque iidem chriſtiani ſabbathi die ſacras quoque *vigilias* obirent, eodem Binghamo notante (*n*); inde & ille dies in Germania ſuperiore *Sonnabend* dici incoepit. Saturni dies.

Quam vero *Wodani* vel *Wodini*, & univerſi adeo paganismi (*o*) ſuperſtitioſa religio ſero admodum in magna Germaniæ inferioris parte exſtirpari coeperit, ex nemine melius diſcere licet, ac Nicolao Colinio, in celebratiſſima olim apud Hollandos abbatia Egmondana, veterrimarum tunc temporis chartarum feraciſſima, monacho Benedictino: qui veteri Belgarum lingua *chronicon rhytmicum*, ſeculo duodecimo fere medio, conſcripſit: quod vernacule *rym-chronyk van den heer Klaas Kolyn* dicitur. Is anno 694 in ea reipublicæ Fœderato-Belgicæ regione, quæ hodie *Zelandia* appellatur, & quondam Mattiacis inhabitata,

 vul-

(*i*) Lib. XIII cap. 9 §. 3, & lib. XX cap. 3.

(*k*) In *cod. diplom. Palat.* num. 124 pag. 85.

(*l*) In centur III *epiſtolar. ad Belgas* 49.

(*m*) Aliorum opiniones v. apud *Haltauſium calend. med. aevi* pag. 11.

(*n*) Lib. XIII cap. 9 §. 4.

(*o*) Vide, inter ceteros, *Joann. Knippenbergh hiſt. eccl. duc. Gelr.* lib. I. c. 5, 6, cum *Jo. Is. Pontani hiſtor. Gelr.* lib. III, ad ann. 687 pag. 44.

Digitized by Google

vulgo certe, creditur (*p*), a S. Willibrordo, illo inferioris Germaniæ apoſtolo, imaginem *Wodani* confractam, eumque propterea a templi iſtius cuſtodibus graviter vulneratum narrat (*q*): tum & Radbodum, famigeratiſſimum iſtum Friſiorum regem, (qui anno 719 obiiſſe traditur) quum pœnitentia ductus baptisma, quod recepturus erat, detrectaret, dixiſſe ait, malle ſe apud majores ſuos degere

In Wodins overzelige landen,
Tan mit luttel armen chriſten (*r*).

Quod Latine diceres, in *Wodini beatis campis*, *quam cum mere pauperibus chriſtianis.* Ubi videri merentur, quæ doctiſſimus Lonius adnotavit (*s*).

Atque ex iis tandem, ſi non liquidum, haud ſaltem inprobabile mihi evaſit, diverſitatem illam dierum quarti & poſtremi, quæ in hebdomadali nomenclatura Germanos ſuperiores inter & pleroſque inferiores, inprimis autem Batavos meos, obtinet, ex tardius apud hos vel introducta, vel confirmata chriſtianæ religionis pietate derivandam: itaque noſtros quidem homines aviti moris retinentiores, ſuperiores autem Germanos veri divini cultus ſtudioſiores fuiſſe.

DE

(*p*) Rectius, poſt alios, *Taxandros* Zelandiæ vindicavit *Spenerus notit. German. ant.* lib. VI, cap. 5, §. 27.

(*q*) Pag. 155 - 158. edit. *Gerardi van Loon*, quem ibi conſule.


(*r*) Pag. 100.

(*s*) Pag. 101.

Digitized by Google

MARMOR VOTIVVM

Auguſtis et Caeſaribus
a Civitate Mogont. dedicatum
Ladeburgi repertum.



Digitized by Google

DE
ARA VOTIVA
Ladenburgenſi,

Imperatoribus & caeſaribus Romanis a Moguntiacenſi civitate ſeculo III. dicata.

Auctor
Jo. Daniel Schoepflinus.

Nulla orbis, Romano imperio olim ſubjecti, regio eſt, quæ non varii generis monumenta literata, vel marmorea vel lapidea, ad noſtrum usque tempus magno numero conſervet. Doctrina epigraph.

Tricies mille inſcriptiones novimus, quas ſub Romana quatuor ſeculorum dominatione magiſtratus, collegia, ordines civiles & ſacri, omnis ſtatus, ætatis & ſexus homines, religionis, grati animi, vel memoriæ cauſa numinibus, imperatoribus, patronis, conjugibus, liberis aut amicis dicaverant.

Regiones, Danubio adjacentes & Rheno, monumentorum hujus generis prædivites ſunt; quorum maxima pars ripuariis Romanorum legionibus, a Dione Caſſio enumeratis, debetur. Danubii Pannonio-Myſici monumenta Aloyſius Ferdinandus Marſilius comes in vaſto ſuo opere Danubiano exhibuit. Simile opus quoque Rhenus expectat.

Sesqui ſeculum eſt, ex quo Electoralis bibliothecæ Palatinæ cuſtos, Janus Gruterus, Heidelbergæ, marmora literata per orbem diſperſa, illo tempore cognita, & antea partitim publicata, in grande duodecim circiter mille inſcriptionum corpus collegit. Theſaurus hic, ad quem magnus ille Scaliger, Velſerus, aliique paſſim viri literati ſuam ſymbolam contulerunt, Heidelbergæ ab erudito typographo Commelino impreſſus eſt a. 1601. Digniſſimum opus, quod cæſari erudito, Rudolpho II, dedicaretur; qui Gru-

Gruterum decoravit honoribus. Ab hoc tempore nova doctrinæ claſſis in republica literata ſurrexit, quam *epigraphicam* vocant.

In hac diſciplina apud plerasque Europæ nationes docti viri claruerunt. Urſatum, Noriſium, Fabrettum, Muratorium, Gorium, Maſſejum Italia; Reineſium, Gudium, Hofmannum Germania; Seldenum, Prideauxium, Fleetwodum Britannia; Sponium & academiam ſuam inſcriptionum Gallia produxit. Quin &, hæc dum enumero, ſupplementi plurium voluminum opus apud Luceuſes paratur.

Ara Ladenburg.

Ad Rhenanas inſcriptiones & illæ referendæ ſunt, quæ in Moſellæ, Nicrique partibus non paucæ occurrunt. Nicrinas inter eminet ara grandis marmorea, VI pedum alta, lata IV pedum; ſolenne quæ continet votum, quod univerſa Moguntiacenſium urbis & agri civitas, tertio æræ chriſtianæ ſeculo finiente, Romano-paganæ religioni adhuc addicta, pro ſalute & incolumitate auguſtorum & cæſarum nuncupavit, formulaque conſueta conceptum, literis quadratis marmori, ſalinum quod Itali vocant, quodque in Strata Montana hodieque effoditur, inſculpi, & in regionis ſuæ finibus prope Nicrum ad omnem poſterorum memoriam juſſit reponi. Præſtans hoc antiquitatis monumentum, per XIII ſecula omnibus tempeſtatum injuriis expoſitum, nobiliore tamen ſui parte ſervatum, illuſtri Stengelio, directore hujus acad. comite, in veteri Wormatienſis epiſcopi palatio Ladenburgi ad Nicrum, ubi olim ſedes horum antiſtitum fuit, ad murum eccleſiæ jacens nuper inveni. Ara coagmentata primitus fuerat ex duobus literatis marmoribus, quorum minus, verſuum ſingulorum finem continens, periit. Majus, quod ſupereſt, & de quo loquimur, marmor Hubertus Thomas Leodius, ob doctrinam eximiam, Friderico II electori Palatino carus & itineris in Hiſpaniam ſocius, ſeculo XVI medio, primus, ſed imperfecte deſcripſit. Nobiliorem enim ejus partem, quæ conſules adeoque con-

conditæ inſcriptionis tempus, nobis aperit, legere quum non potuiſſet, tranſivit ſilentio. Quanto in pretio habenda ſint marmora, quibus inſcripta conſulum æra, antiquitatum interpretes jam pridem docuerunt. Hanc autem in poſtremis verſibus latere, nemo ſubodoravit. Freherus (*t*) atque Gruterus (*u*) mutilum Leodii exemplum, ara ipſa non inſpecta, ſecuti ſunt. Lectoribus inſcriptionem æri inciſam exhibeo, qualem in ſuperſtite monumenti parte inveni.

Altera, quæ interiit, pars, ex Hiſtoria Auguſta, ex formulis & ſtylo Romanorum, aliisque illius ævi marmoribus, ſequentem in modum ſuppletur; Inſcriptio aræ.

IN H. D. D. IOVI ET
IVNONI REGINÆ
MINERVÆ NUMINI (vel DIIS DEA)
BVSQVE IMPERII PRO
SALVTE ET INCOLUMITATE
DD NOSTRORUM DIOCLETIANI ET
MAXIMIANI FELICISSIMORUM
AVGVSTORVM CONSTANTII
ET MAXIMIANI CÆSARUM
CIVITAS MOGUNTIACENSIUM
AVRELIO ET ANNIBALIANO COSS.

A a Pri-

(*t*) *Originum Palatin.* pag. 31, & in appendice pag. 23.

(*u*) *Theſauri inſcriptionum* tom. 1, pag. XXIV num. 8.

Digitized by Google

Numina aræ.

Primi marmoris verſus nonniſi primæ duæ literæ & pars tertiæ ſuperſunt, quæ aram IN Honorem domus divinæ jovi &c. dedicatam fuiſſe, conjicere nos jubet. Formula hæc initialis in lapidibus Romanorum votivis obvia (*x*).

Diocletiano tributum eſt *Jovii* agnomen, præcipuo cultu quod imperator iſte ferebatur in Jovem. Collega ejus Maximianus dicebatur *Herculius*, Herculis fuerat quod præcipuus cultor.

Moguntiacenſes votum ſuum non modo ad Jovem, ſed & ad conjugem ejus filiamque direxerant. Iisdem numinibus Jovi, Junoni, Minervæ ſub regibus ſuis Roma naſcens in Capitolio jam condiderat templum, quod omnium totius imperii templorum dein caput evaſit.

Huic numinum majorum trigæ reliqua, nominibus eorum non expreſſis, adjecta ſunt. In Helvetica Petræ Pertuſæ inſcriptione, quam alibi (*y*) expoſui, numen vel numina auguſtorum; quin etiam in Lugdunenſibus Seguſianorum marmoribus non ſemel occurrit (*z*). Nec excludendi ſunt Genii, qui haud raro accenſentur numinibus. Lapis

Numini Sanctissimo
Genio Municipii

dicatus apud Reineſium (*a*) legitur. Cives Moguntiacenſes per cetera numina intellexiſſe Genios imperii, imperatorum & cæſarum, nulli dubitamus.

Cete-

(*x*) Vid. *Gruter. corp. inſcript.* tom. 1, pag. vi. 4, viii. 7.

(*y*) *Alſatiae illuſtr.* tom. 1, pag. 580.

(*z*) *Gruteri inſcript.* tom. 1, pag. cxii.

(*a*) *Syntagm. Inſcript.* num. 296. Alia paſſim apud Gruterum.

Digitized by Google

Ceterum pro republica, pro ſenatu, pro conſulibus, aliisque magiſtratibus vota ſuſcipere apud Romanos fuit omnium temporum conſuetudo (*b*). Cives in urbe, milites in caſtris pro imperatoribus vota nuncuparunt. Ordines Romani pro ſalute Auguſti ſtipem in lacum Curtii quotannis jaciebant ex voto (*c*). Votiva populi Romani verba pro Trajano expoſuit Plinius (*d*). Ordinaria vota circa calendas Januarii in urbe annuatim ſuſcepta ſunt. Quinquennalia, decennalia, vicennalia, tricennalia, extra ordinem facta, nummi marmoraque teſtantur. Origo moris ab Auguſto repetenda, qui per quinquennia imperium ſibi renovari volebat (*e*).

Pro ſalute imp. Severi & ejus filii Antonini; pro itu & reditu; pro ſalute itus ac reditus; pro ſalute & victoria cæſaris apud Briſſonium (*f*), Gruterum (*g*) & Muratorium (*h*) plurima votorum proſtant exempla.

Urbs, quæ aræ noſtræ votum ſuſcepit, a ſcriptoribus mediæ ætatis & noſtræ appellatur Moguntia. Tacitus, qui primus eam memoravit, *Mogontiacum* (*i*), Antonini Itinerarium (*k*) *Maguntia-* Civitas Mogunt. poſuit.

(*b*) Pro Pompejo univerſa Italia, cum in Campania ægrotaſſet, vota ſuſcepit. *Vellej. Paterc.* & *Dio* lib. XLI.

(*c*) *Sueton. Auguſt.* cap. LVII. Votivos pro ſalute Aug. ludos factos indicat *Plinius hiſt. natural.* lib. VIII, cap. 48.

(*d*) *Panegyr.* cap. XCIV.

(*e*) De decennalibus votis *Pagi diſſert. hypathica* pag. 259. & *Noris in auctario ad diſſert. de duobus nummis Diocletiani & Licinii.*

(*f*) *De formulis pop. Rom.* lib. I, pag. 110 ſeqq.

(*g*) *Inſcript.* tom. I, pag. 22.

(*h*) *Theſaur. Inſcript.* tom. I, claſſ. I, pag. 3, 80, 83, 84 & 95.

(*i*) *Hiſt.* lib. IV cap. XV & XXXIII.

(*k*) In itinere a Mediolano ad Maguntiacum. At itinere a Treviris Argentoratum ſcribitur, ut apud Tacitum.

Digitized by Google

tiacum vocat. Tabulæ Peutingerianæ ex Theodoſii ævo auctor, ut & Eutropius (*l*) *Mogontiacum* ſcripſere. In præſtanti ejusdem ævi opere, cujus rubrum, Notitia Imperii, ſeculo iv finiente conſcripta, dux *Mogontiacenſis* memoratur. In Notitia provinciarum & civitatum Galliæ (*m*) *Moguntiacum* legimus. Ammianus Marcell. (*n*) *Mogontiacus* habet, Ptolemæus (*o*) Μοκοντίακον. Venantius Fortunatus (*p*), Italus ſeculi v poeta, in aula Francica, ſub Radegunde regina, Pictavii ſcribens, breviore nomine primus *Maguntiam* appellat. In marmore noſtro prior ſyllaba ſuperſtes MOG Fortunatum confutat.

Borbetomagus, quam deinceps appellaverunt Wormatiam, princeps olim fuerat Vangionum civitas. At ſuperioris Germaniæ dux ſub imperatoribus Occidentis in iisdem Vangionibus Moguntiaci cum figeret ſedem, urbs hæc provinciæ caput evaſit. (*q*) Mœni Rhenique conjunctio, e regione urbis, prærogativam hanc ei conciliavit.

Moguntiacum agros ſuos ultra Rhenum ad Nicrum usque extendit. Cur enim aram hanc a Moguntiacenſibus ad Nicrum poſitam fuiſſe negaremus. Incurioſa ſuperioris ævi ſeculorum barbaries, pretii ejus ignara, lapidem tantæ molis Moguntia non transtulerat Ladenburgum. Ladenburgenſes quæ ratio inducere potuerat, ut ex Moguntia aram in ſuum oppidum transferrent; quæ ab eo tempore, quo Chriſtianismus in his oris invaluit, neglecta eſt. Mutilatum jam fuerat monumentum, cum Tho-

(*l*) Lib. vii, cap. viii.

(*m*) Apud *Cheſnium* tom. i. *ſcriptorum rerum Francicar.*

(*n*) Lib. xv, cap. xxvii.

(*o*) *Geographiae* lib. ii, cap. ix.

(*p*) Lib. ix, carm. 9.

(*q*) In *notitia imperii*, „ſub diſpoſitione viri ſpectabilis ducis Mogontiacen- „ſis præfectus militum armigerorum Moguntiaco.

Digitized by Google

Thomas Leodius, renaſcentium literarum temporibus vivens, inſcriptionem ejus legiſſet. Milliaria columna in Alſatia inferiore Brocomagi (*r*) reperta, in antiquario meo ſervatur, quam civitas Tribocorum ſub Valeriano imp. erexit. Civitatis nomine omnem Tribocorum intelligi populum, a me oſtenſum eſt alibi (*s*). Ita civitas Moguntiacenſis omnes oppidi & agri incolas æque deſignat.

Ætas aræ.

Aræ dedicatæ tempus aperit nobis adjectus in fine, uti nobis videtur, conſulatus, M. Aurelii Aſclepiodoti & Afranii Annibaliani, qui incidit in annum urbis MXLV, æræ Chriſtianæ CCXCII. De nomine AVRELIO nulla dubitatio. Particula ET in ſiglam unam contracta. Supplendum alterius conſulis nomen ex marmore, quod periit. Supereſt tantum prima ejus litera A & pars literæ ſequentis, quam N fuiſſe conjicimus; unde ANNIBALIANI nomen prodiret. In Oxonienſibus faſtis (*t*) iidem conſules Annibalianus & Aſclepiodotus nominibus familiæ ſolis occurrunt. Quin & Afranius in illis faſtis & alibi Aurelio præponitur. Variationis cauſa eſt, quod conſules alternis vicibus faſces gerebant. Conſul, qui inſignia imperii ſolus geſſit, dictus eſt major, alterique prælatus. Inter præclariſſimos belli duces, diſciplina imperatoris Probi formatos, Aſclepiodotum & Annibalianum reputat Flavius Vopiſcus (*u*). Aurelius Victor (*x*) Aſclepiodotum prætorianorum præfectum appellat. Conſulatus eorum in Caſſiodori atque Idatii faſtis, in Proſperi chronico, inſcriptionibus apud Fabret-

(*r*) Hodie *Brumpt*, tribus leucis diſtans Argentorato.

(*s*) In diſſert. quæ inſerta eſt *commentariis academiae regiae inſcript.* tom. XV, pag. 456.

(*t*) Cod. Oxon. apud *Almeloveen* in append. pag. 571.

(*u*) In *Probo imp.* cap. XXII.

(*x*) *Vir. illuſtr.* cap. XXXIX.

Digitized by Google

brettum (*y*) & in quinque legibus codicis Juſtinianei (*z*) memoratur.

Ara quibus dicata.

Hic autem memoratu dignus ille in hiſtoria annus eſt, quo Diocletianus & Maximianus, auguſti, Conſtantium Chlorum & Gal. Valerium Maximianum ſibi *caeſares* dederunt (*a*). Multitudo hoſtium, qui invaſerant imperium, ad conſilium hoc Diocletianum induxerat; cujus voluntatem Maximianus Herculius, imperii collega, plerumque ſecutus eſt (*b*). Diocletianea numiſmata ſuperſunt, in quibus legitur: SACRA MONETA AUGUSTORUM ET CÆSARUM NOSTRORUM; ut & SALVIS AVGUSTIS ET CÆSARIBUS FELIX KARTHAGO (*c*). Quatuorviratus hic, Romano imperio antea nec viſus nec cognitus, ad vota extra ordinem facienda Moguntiacenſes procul dubio induxit, ut duobus auguſtis, eorumque cæſaribus novis ara ſolenni votiva, ad omnem poſteritatis memoriam erecta, ſe commendarent. Inter quatuorviros illos imperii magna diu fuit concordia, promovente eam Diocletiano, cujus ſumma apud collegam ſemper fuit auctoritas. Placuit ei denique quadripartita orbis Romani cum cæſaribus diviſio, in qua Conſtantio Chloro, præter Hiſpaniam & Britanniam, Gallia & Germania cis Rhenum, in qua Moguntiacum ſita, obtigerant.

Quo-

(*y*) *Inſcript.* pag. 727.

(*z*) Enumerat eas *Petrus Relandus* in *faſtis conſular.* pag. 266.

(*a*) *Aurel. Victor de caeſaribus* cap. XXXIX. *Lactantius de mortibus perſecutor.* cap. XIX. *Chronicon Alexandr.* vel *Paſchale* pag. 277. edit. Paris. & pag. 221. edit. Venetæ.

(*b*) *Aurel. Victor* loc. alleg.

(*c*) *Mediobarbus* in *theſauro numiſm.* pag. 426.

Digitized by Google

Quomodo autem ultimas, quæ in lapide noſtro comparent, literas OSIA interpretemur, niſi ex præſidis Germaniæ ſup. *Toſianii* nomine reliquas eas eſſe concedas, equidem non video. Ex antiquo lapide apud Muratorium (*d*) inter provinciæ hujus, cujus Moguntia caput erat, præſides jam olim retuli (*e*) *Cociavium Tidium Toſſianium Jaonum Priſcum*, neſcius tum, ſub quo vixerit cæſare. Quid ſi ad hanc Diocletiani epocham nunc eum referamus, ut vel auſpiciis vel cura ejus monumentum publicum a civitate Mogunt. poſitum ſit? cui quidem conjecturæ ipſa nominum unius hominis pluralitas & confuſio, labente demum imperio a Romanis admiſſa, favere haud parum videtur.

Supereſt, ut de loco, ubi ara dedicata, verbum addamus. Antiquiſſimis ad Nicrum locis accenſenda Ladenburgum, quod medium ævum vocavit *Lobedenburg*, Lobodonis caſtrum. Auſonii Lupodunum heic poſuit Freherus, commentario, poſt mortem edito, ſententiam hanc firmare conatus. At planities loci, in campo late patente ſiti, conjecturam ejus evertit. *Dunum* in veteri Celtarum lingua denotat collem. Clitophon apud Plutarchum (*f*) Seguſianorum Lugdunum (*g*) corvorum collem interpretatur. Auguſtodunum, Coldunum, Ebrodunum, Lausdunum, Melodunum, Minodunum, Noviodunum, loca Galliæ veteris, in collibus poſita fuere. Belgæ monticulos arenarum ad mare, Dunquerquam inter atque Oſtendam, hodieque *Dunes* appellant. **Ara ubi poſita.**

Laden-

(*d*) *Theſaur. inſcript.* tom. II, pag. 691, num. 7.

(*e*) *Alſat. illuſtr.* tom. I, pag. 282.

(*f*) *De fluminib.*

(*g*) *Lyon.* Lugdunum ad confluentes Araris & Rhodani ſitum olim fuit, ubi hodieque rudera ejus vaſta viſuntur in monte *Fourviere.* Idem de reliquis dicendum Lugdunis.

Digitized by Google

Aræ pretium.

Ladenburgenſis ergo ara antiquitatis Romano - Germanicæ monumentum inſigne eſt; nulli Rhenenſium & Dabunianorum, quæ ſuperſunt, ſecundum. Moguntiacenſis civitatis mentio nec in ipſis hujus urbis, nec in circumjacentium regionum Romanis marmoribus, magno numero poſitis, occurrit. Modoetia, Inſubriæ civitas (*h*), Moguntiaci quoque nomine aliquando deſignata fuit, ut vetus Mediolanenſe nos edocet marmor (*i*).

Coronidis loco obſervamus, quod triennio poſt aram hanc, a Moguntiacenſibus erectam, militaris quidam præfectus pro eorundem imperatorum & cæſarum ſalute in urbe Ubiorum, quæ *Colonia Julia Bonna* vocatur, Martis templum, vetuſtate collapſum, a ſolo reſtituit; quod inſcriptio apud Gruterum (*k*) docet. Sub Diocletiano & Maximiano coſſ. inſtaurati quoque ſunt apud Helvetios Vitodurenſium muri (*l*).

Poſt hæc nemo, ut opinor, tam præclaro monumento pretium debitum negabit. Ara marmorea, in Vangionico hoc tractu noſtro, a Vangionica Moguntiacenſium civitate, pro ſalute imperatorum ac cæſarum Romanorum, numinibus, imperii præſidibus, ſacrata; nobiliore ejus parte per tot ſecula, omneſque temporum injurias ſervata, meruit omnino, Electorali Palatino ut inferretur palatio, ibique in antiquario primum locum occuparet, donec aliud ſuperveniat marmor, quod ei palmam præripiat.

DIS-

(*h*) Hodie *Monza*, ubi corona Longobardica ſervatur.

(*i*) Ex Apiano *Gruter. inſcript.* tom. 1, pag. 468. Adde *Cluverii Italiam antiq.* lib. 1, cap. 24.

(*k*) Tom. 1, pag. 58.

(*l*) *Tſchudii Helvetia antiq.* mſc. & ex eo *Bochatus* in libro, *Memoires ſur l'hiſt. ancienne de la Suiſſe* tom. 1, pag. 422.

Digitized by Google

ARA QVADRILATERA HEIDELBERG.

1. 2. 3 4



F.I.Kisling delin. H.Contgen sc. Mog.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO

Ad Lapides quosdam Romanos, inventos ad Neccarum.

Auctor

ANDREAS LAMEJUS.

Inter præcipuas Caroli Theodori curas, Principe ſapiente dignas, a quo academiam ſuam ſcientiarum condidiſſet, poſtrema haud fuit, ut diſperſos per oppida, vicos, agros & montes populi, in his olim ſive regnantis, ſive regnum affectantis, regionibus, lapides literatos, qui adhuc ſuperſunt, ab interitu, quem tot alia hujus generis monumenta, inſigni rei literariæ damno, perpeſſi ſunt, tuta omnino redderet atque ſecura. Aſylum illis dedit, quo non ſanctius, palatium ſuum, in quod illata magno numero ſunt, quotquot vel juſſu, vel pecunia ſua, vel donis clientum & amicorum impetrare potuit, marmora antiqua; ut hæc quoque cimelia ſi ſpectes, vix aliud in Germania, imo in Gallia, muſeum reperias, Palatino quod eſſet inſtructius. Dabimus ex eo nunc illa, quæ ad Neccarum maxime inventa ſunt, adeoque in Germania antiqua, ubi incertius longe breviusque fuit, quam in Germania nova, Romanorum imperium. Præripuit nobis unicum, idque præſtantiſſimum, ardentiſſima magni Schœpflini muſa, quam noſtra nunc ſequitur, lento pede.

Ara votiva quadrilatera, ex S. Stephani montis Abrinsberg, quem ſanctum nunc vocant, eccleſia olim, teſte Frehero, (*m*) in arcem Heidelbergenſem, jamque intuentibus nobis in Mannheimenſem translata, monumentum eſt, ſi Freherum au- Tab. I. ara quadrilatera Heidelb.

Bb dias,

(*m*) *Origines Palat.* part. I, cap. IV.

dias, quantivis pretii & dignum, quod viſendi gratia trans mare adeatur. Freherus illud *originibus* ſuis *Palatinis*, brevique poſt *corpori inſcriptionum* Gruterus (*n*) inſeruit. Sed & Laur. Begerus, alius antiquarius & bibliothecarius Palatinus, in *theſauro Palatino* (*o*), Heidelbergæ quoque an. 1685 excuſo, ejusdem marmoris ectypum æri inciſum cum commentario protulit, Freheriano quidem & Gruteriano in multis præferendum, at non omnino, uti videbimus, perfectum. Nec felicior nuper fuit Jo. Otto Cullmannus, in *ſpicilegio monumentorum Romano-Palatinorum cis Rhenum* (*p*), ubi laudando antiquitatum patriæ ſtudio Heidelbergenſia & Ladenburgenſia monumenta illuſtrare conatus eſt.

Num. 1. Primarium aræ latus inſcriptionem ſiſtit in corona frondea, lemniſcis tæniisve conſtricta, quam Freherus lauream, Begerus rectius quernam eſſe ſcripſit. Infra coronam aquila alis expanſis affabre exſculpta. Inſcriptio verbis integris hæc eſt:

IOVI OPTIMO MAXIMO
IVLius SECVN
DVS ET IVLius
IANVARIVS
FRATRES
VOTVM SOLVVNT LVBENTES LÆTI MERITO.

Caſp. Barthius (*q*) ex Beyelli, presbyteri Spir. ſchedis linea quarta pro *Januarius* dedit *Janiakus*, peſſime, & linea ulti-

(*n*) Tom. 1, pag. xv.

(*o*) Pag. 45.

(*p*) Eſt appendix *commentationis de pontificatu Romanorum imp. maximo* Heidelbergæ a. 1764. editæ.

(*q*) *Adverſar.* lib. 221, cap. 1, col. 2428.

Digitized by Google

tima literas duas V. S. omiſit, imo etiam penultimam L in F mutavit. Adeo periculoſum eſt in epigraphis antiquis duces non exercitatiſſimos ſequi.

Inſcriptio itaque & aquila ſubjecta vota Jovi ſoluta docent. Jovem hunc conſervatorem, depulſorem, feretrium, fulminatorem, propugnatorem, reſtitutorem, ſalvatorem, ſervatorem, ſtatorem, victorem, ultorem, adeoque omnibus vitæ humanæ caſibus aptiſſimum ſibi veteres deum finxerunt; unde in monumentis, lapideis præſertim, *optimus maximus* prædicari ſolet. Julii noſtri Jovem ſervatorem ara hac poſita coluiſſe videntur. Indicat hoc corona querna, ob cives ſervatos dari ſolita, hinc appellata *civica*. Auguſto, ut perpetuo hoſtium victori ac civium ſervatori, lauros ante regiam poſitas & in iis coronam quernam ſuſpenſam Dio Caſſius (*r*) refert; unde nummus Auguſti extat, in quo aquila alis expanſis & ungulis coronam querceam ferens, inter duas lauros conſpicitur.

In oppoſito Jovi latere filius ejus claudicans comparet, Vulcanus, majorum quoque gentium diis, quos *conſentes* & *adſeſſores* appellarunt, annumeratus, fabrorum ferrariorum deus & ipſe faber, malleum aut clavum dextra, ſiniſtra forcipem tenens. Incus ad pedes. Plerumque galero ſive pileo tectus conſpicitur, rariſſime nudus capite (*s*). Nudum omnes expreſſerunt, contra lapidem, in quo manifeſta tegumenti indicia ſuperſunt. Num. 4.

Reliqua duo inter Jovem & Vulcanum latera occupant figuræ muliebres; quarum altera, alata & feminuda, globo inſiſtit & clypeo inſcribit; altera ſtolata gubernaculum ſuſtinet. Illam facillime omnes agnoſcunt *Victoriam*, dearum numero adſcrip- Num. 2.

Bb 2 tam

(*r*) Lib. LIII, p. 580.

(*s*) *Montfaucon antiq. expliq.* tom. I, pag. 97.

Digitized by Google

tam. Globus, quem pede premit, orbem terrarum, imperio ejus ſubjectum, indicat. Palmam vulgo & coronam lauream præfert. Nec rara ſunt a Galba & Vitellio imp. exempla ſcribentis in clypeo. At in plerisque clypeus palmæ affixus eſt (*t*); qualem Freherus ipſe exhibet. Alibi Victoria ſedens clypeo vota inſcribit (*u*). Clypeum columellæ impoſitum Begerus (*x*) ex gemma prodidit, idemque in lapide noſtro coecutiens pro gubernaculo navis inverſo arborem vidit. Vitioſa eſt Freheriana & Gruteriana hujus rei effigies, vitioſior Begeriana, at effigie pejor ejusdem explicatio. Ara in Galbæ, columna in Maxentii nummis clypeum Victoriæ ſcribentis ſuſtinent (*y*).

Num. 3. „ Quartam figuram mulieris ſtolatæ, cui ſimilem nec in „ nummis nec ſtatuis hactenus vidi, (verba ſunt Freheri) cogno„ ſcere adhuc laboro.„ Equidem de *Fortuna* certiſſimus eram, quum Begerum ante me idem ſenſiſſe, lætus deprehenderem. Fortuna hæc cum cornu copiæ plerumque, gubernaculo & rota vel globo repræſentari ſolet (*z*). Noſtra nonniſi gubernaculum habet, & quidem, quod Freherum ſine dubio vexavit, inverſum; cujus rei exemplum nec me alibi vidiſſe memini. Fortunæ varia in nummis & inſcriptionibus epitheta tribuuntur. Dicitur adjutrix, bona, conſervatrix, calva, equeſtris, felix, fortis, manens, obſequens, opifera, perpetua, placida, primigenia, redux, reſpiciens, ſalutaris, ſancta, ſtata, tranquilla, victrix.

Aras

(*t*) Vid. *theſ. Morell.* in Vitellio tab. III, num. 16. in Veſpaſiano tab. XIII, num. 5. 9, 10, 11. in Tito tab. V, n. 3. & de Antonino Philoſ. *Beger. theſ. Pal.* pag. 34.

(*u*) In nummo Conſtantis imp. *Beger.* ibid. pag. 374.

(*x*) *Theſ. Brandenb.* pag. 51.

(*y*) *Oiſel. theſ. numiſm.* tab. LXIX. 3, & LXX. 6.

(*z*) *Lactant. inſtitut.* lib. III, cap. XXII.

Digitized by Google

Aras *ſtatae* & *tranquillae* Fortunæ poſitas, Gudius (*a*) collegit. At unicus noſter lapis eſt, qui hanc Fortunæ ſive *manentis* & *perpetuae*, ſive *ſtatae* atque *tranquillae* imaginem exhibet. Convenit ei pulcherrime gubernaculum inverſum, & pro rota vel globo lapis quadratus pedi ſubditus. In nummo Veſpaſiani *Fortuna Aug.* baſi inſiſtit; in Commodi *Fortuna manens* ſedet in cathedra, innixa telis, quorum cuſpis terræ infixa (*b*). Extat de Fortuna Romanorum elegans Plutarchi commentariolus (*c*), ubi populis aliis deſertis Romam advolaſſe, in monte Palatino conſediſſe, alas & talaria depoſuiſſe, verſatilemque & infidelem illum globum miſſum feciſſe traditur, tranquilla atque perpetua ibidem manſura.

Auctores monumenti ſunt duo Julii, ſecundus & Januarius, fratres, neque militari, neque civili munere vel dignitate conſpicui. Cavendum autem, ne Juliæ, ſummæ apud Romanos genti, adſcribantur, niſi per manumiſſionem. Nobiliſſima nomina cum infimæ ſortis hominibus tribus potiſſimum modis, adoptione, manumiſſione & civitatis Romanæ largitione communicata fuiſſe, nemo ignorat. Julios noſtros vel ex ſervo, vel ex liberto patre aut avo oriundos fuiſſe, inde colligimus, quod cognomina illorum, *Secundus* & *Januarius*, inter ſervorum nomina leguntur. *L. Julius L. L.* (Lucii Libertus) *Secundus* in Hiſpania vixit, teſte marmore Muratoriano (*d*). *M. Julius Secundus*, medicus ocularius, in ſepulcreto libertorum Liviæ Aug. (*e*) Medi-

(*a*) *Inſcript.* pag. XLIX. 7. L. I. 2. & LX. I.

(*b*) *Oiſel theſ. numiſm.* tab. LIII. I. 2.

(*c*) Operum tom. II, pag. 97.

(*d*) *Theſ. inſcr.* tom. I, p. CXLII. 4.

(*e*) Ibid. tom. II, p. CMVIII. I.

Digitized by Google

cus ocularius memorem me facit inſcriptionis, Aventici Helvetiorum conſpicuæ:

NVMINIB. AVG. ET GENIO COL.

HEL. APOLLINI SACR. Q. POSTVM.

HYGINVS ET POSTVM. HERMES LIB.

MEDICI S. ET PROFESSORIBVS.

Ex Stumpſio Gruterus (*f*) aliique lineam ult. dederunt *medicis & profeſſoribus*, ſed male. Liberti ipſi, lapidis auctores, erant medici, quod & cognomina ipſorum indicant *Hyginus* & *Hermes*, adeoque *ſibi & profeſſoribus*, ex eodem libertorum genere natis, monumentum poſuerunt. *Secunda Livillae ſerva medica* legitur apud Pignorium, egregium de ſervis & eorum apud veteres miniſteriis ſcriptorem (*g*). Habemus itaque Secundum inter libertos, olim ſervos, & Secundam inter ſervas. Ecce inter eosdem Januarium. *L. Caſſius L. L. Januarius*, & inter Cornelii Charitonis ſervos *Januarius* commemorantur apud Gruterum (*h*). Deeſt Juliis noſtris prænomen, non quod eo caruerint, ſed quod illud in lapide ſcribi neglexerint. Quum enim libera Rep. fratres prænomina diverſa diſcriminis cauſſa geſſiſſent, ſub imperatoribus iisdem ſæpiſſime prænominibus inſigniti, cognominibus maluerunt diſtingui; unde prænominum fere ratio habita nulla. Ex innumeris unicum exemplum adducam, & ex eadem quidem cum ara noſtra ætate. Pudente & Orfito coſſ. i. e. an. Chr. 165. *T. Fl. Hymnus* pater, & filii TT. FLL. *Col. Marcellus* & *Titianus*, ille *conjugi ſanctiſſ. dulciſſimaeque*, hi *matri pientiſſimae* ſarcophagum ſigil. cum opere & baſibus fecerunt (*i*). Pater itaque & filii eodem

(*f*) Pag. CXII. 3.
(*g*) Pag. 37.
(*h*) Pag. XXXII. 3. & LXIII. 2.
(*i*) *Gruter.* pag. DCCLI. 3.

Digitized by Google

dem prænomine, at diverſis cognominibus, uſi ſunt, oriundi quoque, uti Julii noſtri, ex ſtirpe ſervili.

Cauſſam lapidis poſiti & ætatem ſi quæras, ex voto ſolito & imaginibus deorum additis patet, metum quendam & ab hoſtibus Germanis periculum præceſſiſſe, quod a Jove conſervatore & conſtanti Romanorum fortuna depulſum. Lapidem Begerus *victorialem*, ob adjunctum Victoriæ ſimulacrum, appellat. Victoriam autem Jupiter potiſſimum dediſſe, Vulcanus arma miniſtraſſe credebantur. Ad Antoninorum ſeculi II ævum, minime cum Frehero ad Valentiniani & Gratiani, imperatorum Chriſtianorum, vel cum laudato ſupra Cullmanno ad Diocletiani tempora, monumentum hoc refero. Vetat operis elegantia, ne ſeculo II poſterius habeatur. Jubent circumſtantiæ variæ, ut Antoninis adſcribatur. Servatur Heilbronnæ ara *Fortunae reſpicientis*, a centurione legionis VIII aug. Torquato & Juliano coſſ. id eſt, a. Chr. 148, adeoque ſub Antonino Pio conſtituta (*k*). Nulla quidem belli ab Antonino Pio ad Rhenum & Nicrum geſti, apud hiſtoricos illius ævi, flaccidos & raros in gurgite vaſto natantes, extat memoria. Imo orbem is terrarum ſine bello, ſola auctoritate, rexiſſe fertur. Id tamen non impedit, quo minus ad Nicrum fuerint cum Germanis, perpetuis Romanorum hoſtibus, ſi non proelia juſta, velitationes ſaltem; id quod vel Heilbronnenſis Fortunæ reſpicientis ara nobis perſuadet. Sub Antonini Philoſ. autem auſpicia imperii, circa a. 162, Cattos, Rheno & Nicro proximos, in Germaniam, Romanam ſcilicet, irrupiſſe & adverſus eos Aufidium Victorinum miſſum fuiſſe, Julius Capitolinus (*l*) docet. Sunt nummi, M. Aurelio imp. II, coſ. III, id eſt, an. 164 cuſi, in quibus principi huic *Germanici* elogium tri-

(*k*) *Schelhorn. amoenit. lit.* tom. X, p. 1208. De ara hac commentatio antiquaria Jo. Rud. Schlegelii, gymn. Heilbr. rectoris, extat in *Clemmii nov. amoenit. lit.* p. 394.

(*l*) *Vita M. Aurelii* cap. VIII.

Digitized by Google

tribuitur. Et hac profecto temporis epocha aram noſtram ut poſitam credamus, omnino nos movet tum capitis *Victoriae* ornatus & capillorum in occipitio nexus, ſimillimus ei, qui Fauſtinam juniorem, M. Aurelii conjugem, a matre ſua diſtinguit; tum Rheni & Nicri ſub reliquo imperatoris hujus imperio quies non interrupta, ita ut Germaniæ populis, Marcomannis, Nariſcis, Hermunduris, Quadis, Suevis, Sarmatis, Alanis, Vandalis &c. adverſus Romanos maxima vi brevi poſt inſurgentibus, Catti ſocietatem belli inire auſi non fuerint. Ad bellum hoc, quod ad Danubium geſtum eſt, non ad Rhenum, referendi ſunt nummi M. Aurelio imp. VI, coſ. III, hoc eſt, an. 171 percuſſi, quorum unum Begerus (*m*) exhibet, ubi Victoria alata clypeo palmæ affixo VIC. GER. inſcribit.

Victorini itaque de Cattis victoriam, nulli ſcriptori memoratam, lapidem noſtrum, in Cattorum finibus erectum, celebrare nullus dubito; ita ut monumentum hoc non Antoninianæ tantum laxius, ſed Antonini Philoſ. primum regnantis ætati confidentius adſcribamus; monumentum eo magis venerabile, quod ad tam venerandi principis imperium adſcendit, noſtrique Palatinatus ſub Romanis hiſtoriam haud parum illuſtrat, novo indicio, marmora & numiſmata ſcriptorum haud raro ſupplere defectum atque ſilentium.

Ex ſuperioribus itaque inſcriptionis noſtræ hæc prodit paraphraſis: *Jovis opt. max.* numine, ope *Vulcani*, *Fortuna* Romanorum manente atque perpetua, relata *victoria* eſt de Germanis, M. Aurelio Antonino imperatore; quam ob rem *Julius Secundus & Julius Januarius fratres*, maximo ex periculo ſervati, poſita hac ara *votum* ante conceptum *ſolverunt lubentes laeti merito.*

In

(*m*) *Theſ. Palat.* p. 311.

Digitized by Google

TABVLA II.

ad pag. 201.

Num. 1.



Num. 2.



Num. 3.



J. J. Kisling desig.

H. Contgen Sculpt. Mog.

Digitized by Google

Digitized by Google

In eodem monte ſancto prope Heidelbergam inventæ, inde- Tab. II. n. 1. Ara Mercurii.
que in vicum Handſchuchsheim primum, deinde Mannhemium translatæ ſunt inſcriptiones duæ, quas ex ipſis marmoribus ſuis tabula alia ſincere repræſentamus. Utraque non forte, ſed barbaro quodam conſulto una ſui parte comminuta eſt. Priorem ante nos Apianus (*n*), Heroldus (*o*), Freherus (*p*), Gruterus (*q*) ediderunt, nemo recte. Ex Heroldo Reineſius (*r*) eam dedit, non quod probaret, ſed ut fraudes, in hoc eruditionis genere committi ſolitas, patefaceret. Neque ſana profecto eſt, quam ex ingenio ipſe ſuo attulit, medela. De MERCURIO omnes conveniunt & BASE CVM SIGNO ei poſita. Baſis hic ipſe lapis fuit. Signum interiit. Vocem SIGNO, quæ lapidi ablata, nullus expreſſit, præter Heroldum. Difficultas major in nominibus hominis, qui poſuit. Eſt is LUCIUS CANDIDIUS CATO, ubi nihil deſiderandum, niſi prænomen patris, forte & tribus, quæ lineam tertiam abſolviſſe videntur. Pereat Heroldi *Julian. Didius Evocatorum Dux*; pereat quoque Gruteri *Gator* lineæ quartæ, & in indice operis hujus Scaligeriano L. Candidius *Mercator*. Apiani & Freheri erroribus minoris momenti non inhæreo. Reineſius eundem L. Candidium *Mercatorem* admittit, & ex ſiglis D C *Decurionem Coloniae* conſtituit audaciſſime. R. D. & quæ ſequitur vel C vel O literæ initiales ſunt vocum, quas ex iis divinari oportet. Solennis eſt in patriæ enuntiatione, uti ſupra jam annotavimus (*s*), formula lapidaria *Domo* e. g. *Roma*, pro qua ſiglæ D. R. ſæpius ponuntur. Quæ cum ita ſint, quin R. D. *Roma Domo*, vel *Romanus Domo* interpretemur, obſtare

Cc equi-

(*n*) *Inſcript.* pag. CCCCLXV.

(*o*) *De ſtat. leg. in vet. Germ.* cap. XII.

(*p*) *Orig. Palat.* part. 1, pag. 26.

(*q*) *Corp. inſcript.* pag. LII. n. 2.

(*r*) *Syntagm. inſcr.* pag. 1008.

(*s*) Pag. 23 med.

equidem nihil video. Simpliciſſima ſane hæc eſt & aptiſſima ſtylo Romanorum epigraphico interpretatio. Quæ vero in lapide deſunt, nos nolumus inutili opera revocare, neque de poſtremæ lineæ ſiglis, omnium tritiſſimis, hic aliquid addere.

Num. 2. Monum. Viſucii.

Monumentum numero ſecundum noſtra demum ætate inventum, nec a quopiam veterum inſcriptionum quæſitore proditum eſt (*t*); monumentum plane ſingulare, in quo incogniti hactenus dei & civitatis Nemetenſis exprimitur nomen.

Deus appellatur *Viſucius*, quem in topicorum vel localium numinum, quæ docente Servio (*u*) ad alias regiones nunquam transeunt, numero habere, nemo facile recuſabit. Difficile autem de topicis his diis certi aliquid ſtatuere. Quid ſi montem, in quo repertus eſt lapis, ſub hoc latere nomine conjicimus. Nam & montes altiores deorum inſtar habebantur, id quod de Voſego, Penino & Apenino montibus conſtat (*x*). Montes iſtos inter Nicrum, quos Odoniam ſilvam media ætas appellavit, una voce Viſucium ad inſtar Vogeſi, Juræ, Penini &c. appellatos fuiſſe, quin ſtatuamus, nihil vetat. Oritur in eis rivus haud incelebris *Wisgoz*, hod. *Weſchniz*, ad quem monaſterium Laurisham. ſeculo VIII extructum. Idem nomen virile proprium evaſit. Rinoldus quidam & *Wiſogoz* XII Kal. Oct. anni XIII Karoli Magni regis manſum & triginta jurnales in pago Wormat. in Dutenheim marca laudato monaſterio donarunt (*y*). Germanorum *Wisgoz* Romani in *Viſuz* & addita ex linguæ ſuæ genio terminatione, in *Viſu-*

(*t*) Legitur tamen in addit. 2 ad *Jo. Petri Kayſeri*, ſenis venerandi, *Hiſtoriſcher ſchau-platz der ſtadt Heidelberg*, edit. Francof. 1733. At multum abeſt a vero.

(*u*) *Comment. ad Virgil.* Æneid. VII. vers 47.

(*x*) Adi illuſtris *Schoepflini Alſat. illuſtr.* tom. I, pag. 486. & *Maffeji muſ. Veron.* pag. 79.

(*y*) *Cod. trad. Laurisham.* mſc.

Digitized by Google

Viſucius corruperunt. Lubentius tamen ego crederem, Viſucium non tam montis fuiſſe nomen, quam dei, in montibus his ab inquilinis ſuis culti. Veteres profecto Alemanni & Franci Deum *Got* & *Goz* promiſcue appellarunt, unde *Meingot* & *Meingoz*, *Godebert* & *Gozbert*, *Gotſrid* & *Fridegoz* &c. compoſita ex duabus vocibus nomina virorum propria. Occurrit alibi in traditione quadam Laurisham. vocabulum *Achgoz*, pro quo nunc dicimus *Achgott*. *Wisgoz* itaque aut Latinum *Viſucius* conflatum eſſet ex *Wis* & *Goz* vocabulum, *ſapientem Deum*, vel verum vel fictitium, deſignans. Deo huic peregrino, ut eum propitium ſibi redderet, AEDEM CUM SIGNo fecit CAJUS CANDIDIUs CALPURNANUs, ex eadem, qua L. Candidius Cato, de quo ad præcedentem inſcriptionem actum, gente oriundus, prænomine tamen & cognomine diſtinctus. Cognomen *Calpurnani* a matre Calpurnia procul dubio accepit. ADEM pro *Aedem* error videtur eſſe fabrilis, æque ac ADICULA pro *aedicula* apud Muratorium (*z*). Periit cum æde SIGNUM Viſucii, ex quo, ſi adhuc ſupereſſet, dei hujus Teutonici figuram noſceremus. Difficillima eſt explicatu linea quinta, ex qua tamen, præter numeros, vix aliquid ſani elicias. Ut brevis ſim, dicam, quomodo ego legam: DCC, *ſeptingentis* SUIS NUMMIS ET MDC, *mille ſexcentis* vel *ſeptingentis* (nam centenarius deſiderari numerus videtur) CIVITATIS NEMETENSIS FECIT. Sunt, fateor, de quibus ipſe dubito, ſingularis potiſſimum figura copulæ ET, quam alibi fruſtra quæſiveris. Sagaciorum examini ænigma hoc commendo. Offenderet quoque in litera D poſteriore virgulæ interior transverſa, qua vocalis E indicari ſolet, ut hinc ſyllaba MED prodiret, niſi ſimilis nota, quingentos denotans, in ænea obligationis prædiorum tabula apud Maſſejum (*a*) & alibi compareret. Summam pecuniæ, in ædium ſacra-

(*z*) *Theſ. inſcript.* pag. MCCCCX, 12.

(*a*) *Muſ. Veron.* p. CCCCIII.

Digitized by Google

rum conſtructionem impenſæ, in aliis titulis Moguntiæ (*b*) legi & prope Badam Helvetiorum Wettingæ. Alias S. P. *ſua pecunia* aut P. S. *pecunia ſua* brevius ſcripſerunt veteres.

Num. 3. anaglyph. Mithriac. Tertius hujus tabulæ lapis eſt, qui nunc primum in lucem prodit, anaglyphum Mithriacum, ſine literis, repertum Ladenburgi ad Neccarum, ubi inventa quoque ara civitatis Mogunt. votiva, de qua ſuperius (*c*). Sunt ejusdem generis marmora Romæ (*d*), Veronæ (*e*) & alibi; at nullibi, quam in noſtris Germaniæ oris, frequentiora. Aliud Mulſæ, inter Oenipontum & Brixiam (*f*), aliud in Wirtenbergico (*g*), aliud in Bipontino (*h*) ducatibus; quibus nunc Ladenburgenſe noſtrum accedit, a reliquis nonnihil diverſum. Diverſos quatuor iconiſmos Mithræ ex antiquarum gemmarum ſculpturis protulit Thomas Hydeus (*i*), cum quo ſolem in ſigno verno tauri, quo omnia reviviſcunt, iis repræſentari, & quod apud Perſas hieroglyphicum fuerat, a Græcis atque Romanis, ſuperſtitioni longe pronioribus, in divinum cultum fuiſſe depravatum, exiſtimamus. Unde ſunt aræ SOLI INVICTO MITHRÆ, NUMINI INVICTO SOLI MITHRÆ (*k*), DEO

(*b*) Vid. *Joannis ſcript. Mogunt.* tom. 3, pag. 342.

(*c*) Pag. 188.

(*d*) *Vignol. de columna Antonini Pii* p. 174.

(*e*) *Maffeji muſ. Veron.* p. 75, n. 1.

(*f*) Vide *Martini Gerberti*, celſiſſ. nunc principis abbatis San-Blaſiani, *itinerar.* p. 442.

(*g*) *Sattler hiſt. Wirtenb.* tab. XI, pag. 192.

(*h*) *Schoepfl. Alſatia illuſtr.* tom. I, pag. 501.

(*i*) *Hiſt. relig. veterum Perſarum* cap. IV, pag. 113.

(*k*) *Reineſ. ſyntagm. inſcript.* claſſ. I, n. XLV ſqq.

Digitized by Google

Tab III. Num. 1. ad pag. 203.



Num.



2.

H. Pintgen Sc. Neg.

DEO INVICTO MITHRÆ (*l*) hinc inde poſitæ, quarum una Heilbronnæ (*m*). Religionis quoque hujus, a Romanis admiſſæ, teſtis eſt figura ſacrificantis in ara, quæ in lapide noſtro infra Mithram exciſa, non obvia alibi. Solis virtutes & beneficia ſignificari putantur imaginibus animalium, corvi, leonis, canis atque ſerpentis, præter quas alia piſcis, aquilæ, ſcorpionis, ſolis, lunæ, ſtellarum, fulminis, arborum &c. ſimulacra alibi comparent. Figuram humanam retro Mithram, tauri caudam ſiniſtra quæ tenet, ad lunam referre lubet. Subigit ſol terram, comitatur luna, adeoque tum ſolis imperium exprimitur, tum lunæ ſervitium. At in nocte hieroglyphica tam obſcura ſomniare magis licet, quam cernere. Cernant, qui ſunt, oculatiores nobis.

Superſtitio Mercurialis nullibi magis invaluit, quam in Galliæ, Germaniæque confinibus, Romanorum imperio adjectis, hoc eſt, ad Rhenum atque Danubium. M. Velſerus (*n*) Auguſtæ Vindelicorum quinque, & in agro Auguſtano tria Mercurii monumenta vidit. Alſatia inferior trium Mercurii templorum, nec non ædis & attegiæ teguliтiæ rudera, aras porro & imagines anaglyptici operis plurimas hodieque oſtentat (*o*). Spiræ MERCURIO CONS. (*p*) id eſt, lucrorum potenti & conſervatori, uti alibi legitur (*q*); Birſtadii e regione Wormatiæ, ditionis Mog. vico, MERCURIO NUNDINATORI (*r*), ſive, uti apud Mediomatricos lege-

Tab. III, Num. 1. Inſcriptio Obrigheim.

(*l*) *Meneſtrier hiſt. de Lyon* pag. 19.

(*m*) *Reineſ.* l. c. num. XLVII.

(*n*) *Rer. Auguſtanar.* pag. 108. ſqq. & p. 247.

(*o*) Vid. *Alſat. illuſtr.* tom. 1. period. Rom. ſect. VI, cap. 1.

(*p*) *Gruter. inſcript.* tom. 1, pag. LIV, n. 5.

(*q*) *Spon. miſcell. erud. antiq.* ſect. III. n. 42.

(*r*) *Spon.* l. c. n. 43, & *Reineſ.* claſſ. 1. inſcript. LXXX.

gebatur, NEGOTIATORI (*s*), aræ votivæ poſitæ fuerunt. In Palatini electoratus ditione, ad Nicrum & Rhenum, obvia quoque ſunt marmora dicata Mercurio, quorum unum ſuperius deſcripſimus.

Lapidis fata. Præferendum ei, quod nunc ob oculos ponimus, Obrighemianum, vulgatum olim a Petro Apiano (*t*), ex quo Gruterus *corpori* ſuo *inſcriptionum* id intulit (*u*); neglecta lapidis figura, quam Apianus lapide longe pulcriorem expreſſerat. Poſt Apianum & Gruterum Caſp. Barthius ex Jac. Beyellii, presbyteri Spir. libello monumentorum veterum, an. 1533 ſcripto, Obrigheimenſe quoque *adverſariis* ſuis (*x*) inſeruit. Ex Boiſſardi denique ſchedis Monteſalconius (*y*) integrum lapidem publicavit æri inciſum. Sed accidit Obrigheimenſi, quod plerisque aliis epigrammatibus vetuſtis accidiſſe quotidie experimur, ut vitioſum nempe prodiret, & ab idiographo ſuo alienum. Medelam nec Oedipus attulerit, niſi inſpecto lapide. Monteſalconius primam tantum lineam expoſuit; cætera, inquit, vix ac ne vix quidem explicari poſſunt.

Explicatio. Siglas IN H. D. D. antiquarii communi fere conſenſu interpretantur *In Honorem Domus Divinae*; quæ lapidum formula initialis & in monumentis publicis frequens, integris verbis hinc inde

(*s*) *Meuriſſe hiſt. des Ev. de Metz*, p. 10, & *Murator. inſcr.* tom. I, p. XLIX. 8.

(*t*) *Inſcript.* pag. 464.

(*u*) *Theſ. inſcr.* pag. LII, n. I.

(*x*) Lib. LII, cap. I, pag. 2428.

(*y*) *Antiq. explic.* ſupplem. tom. I, pag. 99.

Digitized by Google

inde expreſſa occurrit (*z*). Minodunenſe Helvetiæ marmor (*a*), quod ipſe quarto abhinc an. inſpexi, PRO SALVTE DOMVS DIVINÆ habet. In Gallia pro ſalute imp. Gordiani TOTIVSQUE DOMUS DIVINÆ taurobolia facta (*b*). Creſcente Romanorum in principes ſuos adulatione, nata eſt conſuetudo, ut domum auguſtam ſive imperialem appellarent divinam, principes ipſos cum inter deos collocaſſent, templisque poſt funera & ſacerdotiis honoraſſent (*c*). Aritienſis Luſitaniæ civitas pro Caligulæ ſalute tuenda anno Chr. 37 jusjurandum ære expreſſit (*d*), in hæc deſinens verba: „ Si „ ſciens fallo fefelleroque, tum me, liberosque meos Jupiter opt. „ max. ac *divus Aug.* cæterique omnes dii immortales expertem „ patria, incolumitate, fortunisque omnibus, faxint. „ *Deo Auguſto* T. Lapponius & Domitia Caſſia votum ſolverunt (*e*). Plinius orator (*f*) de Trajano: „ Necdum imperator, (inquit) necdum „ *dei filius* eras, „ a Nerva ſcilicet, inter divos relato, nondum adoptatus.

Secundo verſu deum, cui dicata eſt ædes, lapis noſter MERCURIUM nominat evidentiſſime. Ad latus inſcriptionis ſiniſtrum figura Mercurii, capite & pedibus alati, exſculpta, obvia alibi, cum crumena ſcilicet, caduceo & ariete. In oppoſita lapidis parte alia figura tunicata comparet, non dei, ſed hominis mercatoris, ambabus manibus ſacculos plenos geſtantis, vel ut dona offer-

(*z*) *Grut. inſcr.* p. XCII.

(*a*) *Maffeii Galliae antiqq. ſelect.* epiſt. III.

(*b*) *Gruter.* p. XXIX, 14, XXX, 1, XXXI, 2.

(*c*) Cel. *Schoepflinus de apotheoſi imperator. Rom.* cap. 2. & *Jacobi de Rhoer otium Daventr.* lib. 1, cap. XXXI. ſq.

(*d*) *Fabretti inſcr.* p. 674. & *Maffeji iſtor. diplom.* p. 36.

(*e*) *Maffeji muſeum Veron.* pag. XCV, n. 3.

(*f*) *Panegyr. Trajani* §. XIV.

Digitized by Google

ferret deo, vel ut conditionem ſuam, fortunam deſideriumve indicaret. Pertinet huc Ovidianum (*g*)

> Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ ..
> Huc venit incinctus tunicas mercator.

Beyellius, uti ex Barthio diſcimus, Bacchum eſſe credidit, cujus tamen ne umbra quidem in lapide apparet. Montefalconius, vitiatam effigiem ex Boiſſardo nactus, quid ea ſignificet, dubius hæſit.

Linea tertia AED. SIGN. ACR interpretanda mihi videtur: *aedem, ſignum ac reliqua;* ad ædem ſcil. & ſignum pertinentia. SIGNA numero plurali alii inſcriptionis hujus editores habent; ſed duo vel plura unius dei ſigna in una eademque æde Romani non poſuerunt. Manifeſtum inſuper eſt in lapide punctum, decurtatæ vocis in fine indicium. Particula AC pro ET in marmoribus rarior. Deprehendi tamen in monumentis ejusdem ævi apud Gruterum (*h*). Siglam R. *reliqua* interpretamur, quo ſignificatu quoque alibi occurrit (*i*).

Sequitur linea quarta & quinta dignitas & nomen hominis, qui hæc omnia curavit. Fuit is *Centurio quartae Legionis Bellonius Marcus Amerinus.* Nota 7 centuriæ vel centurionis, qua vix alia tritior eſt in monumentis militaribus, Apianus & Boiſſardus, qui lapidem exſcripſerunt, miſere corruperunt, quod ſexcenties alibi contigiſſe jam alii obſervarunt (*k*). Legio quarta, cujus hic mentio fit, imperante Nerone in oriente militavit (*l*). Inde

(*g*) *Faſtor.* lib. V, ad fin.

(*h*) Pag. CCLXXXI, n. I. & 4.

(*i*) *Maffeji Gall. antiqq. ſel.* epiſt. XVII.

(*k*) *Hagenbuch. de dipt. Brix.* pag. 194. & 215.

(*l*) *Tacit. annal.* XV, 6. 26.

Digitized by Google

Inde in Germaniam ſup. cujus metropolis Moguntia erat, tranſlata, mortuo Nerone prima & promptiſſa pro Vitellio ſtetit (*m*). Victa deinceps a Veſpaſiano, & cum reliquis Vitellianis legionibus per Illyricum diſperſa eſt (*n*). Nova hinc quarta legio conſcripta, quæ a Flavio Veſpaſiano imp. *Flaviae* cognomen accepit; unde duæ quartæ legiones fuere, Scythica & Flavia; uti ex claſſico Dionis Caſſii (*o*) de legionibus loco, & ex marmoribus (*p*) conſtat. Ad Flaviam marmor noſtrum referimus, quod ejusdem legionis mentio fit in lapide Spirenſi apud Lehmannum (*q*). Legionis hujus centurio erat *Bellonius*, prænomine *Marcus*, cognomine *Amerinus*. Prænomen vero, nomen & cognomen habere, civium Romanorum erat, ex quibus conſcribebantur legiones. Stilo Latino puriore ſcribendum fuiſſet *M. Bellonius Amerinus*. A regulis liberæ & florentis reip. diſceſſum ſub imperatoribus, ſub quibus nominum ratio plane fluxa & incerta fuit (*r*). Lapis Wormat. ſupra (*s*) *Sacer Julius* pro Julius Sacer; *Emeritius Sextus*, pro Sextus Emeritius, omiſſo vel prænomine, vel cognomine, inſcriptio Canſtad. habet (*t*). Cognomentum nonnunquam gentilitio præmiſſum (*u*), & gentilitium prænomini, contra uſum veterem, prout quis-

Dd que

(*m*) Id. *hiſt.* I. 55.

(*n*) ibid. III, 22, 35.

(*o*) Lib. LV, pag. 564.

(*p*) *Gruter.* inſcr. DXIII, 2. 3.

(*q*) *Chron. Spir.* lib. I, cap. 8.

(*r*) Erudite omnino hæc noſtris diebus evolvit V. C. *Henr. Cannegieter* in *lib. ſing. de mutata Romanor. nominum ſub principibus ratione* edit. an. 1758.

(*s*) Pag. 20.

(*t*) *Alſat. illuſtr.* tom. I, pag. 443.

(*u*) *Maffeji Galliae antiqq. ſel.* ep. XV.

Digitized by Google

que hoc vel illo appellari maluerat. *Bellonius* nomen militare a Bellona, Martis ſive uxore ſive ſorore; uti a Marte ipſo Martia, ab Apolline Apollonia, a Mercurio Mercuria, a Saturno Saturnia gentes paſſim in lapidibus celebrantur. Apianus, Gruterus & Mantefalconius dedere *Bellonus*, neglecta vocali I, quæ conſonanti N impoſita. Bellonius tamen, non Bellonus, legendum eſſe, inconſulto lapide divinari poteſt, quoniam nomina gentilitia omnia in IVS, pauciſſima in ÆVS deſinunt. Unicum autem hoc monumentum eſt, ex quo gens Bellonia nobis innoteſcit. Notiſſimum vel ex Ciceronis pro Sexto Roſcio Amerino oratione *Amerini* cognomen, quod a patria prognatum videtur. Ameria enim antiquiſſimum Romanorum municipium fuit, hodie civitas Umbriæ, Amelia dicta. Apianus dedit SAMEc, Barthius & Montefalconius SAMERc, peſſime. Ex vitioſa hac lectione in indicem nominum Gruterianum magni Scaligeri *Bellonus* pro Bellonius, *M. Samecius* & *Sameciuſſus* pro M. Amerinus illati ſunt.

M. Bellonius Amerinus, centurio quartæ legionis, non ſponte ſua vel privato nomine ædem & ſignum Mercurio poſuit; ſed IVSSVS F. C. *juſſus faciundum curavit.* Juſſus haud dubie a legione ſua, ex Italis, Gallis atque Germanis conflata, poſtquam Caracalla imp. jus civitatis Rom. ad univerſas imperii Romani provincias liberaliſſime extendiſſet. Unde monumentum noſtrum, æque ac ara civitatis Mogunt. Ladenburgenſis, inter publica, non privata, referri debet.

Ex ultimis denique literis, injuria temporum valde exeſis, nihil pronius extricari poſſe videtur, quam *I. Flavio Conſtantio Caeſ. Conſule II.* qui conſulatus cum ſexto Diocletiani imp. incidit in an. Chr. 296. Apianus & Gruterus ultimam lineam CA AVII. dedere. Conſtantius hic Chlorus, Conſtantini M. pater, quadriennio ante cæſar factus, diviſo quatuor in partes imperio, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, & cum Gallia Germanias duas, juris Rom. provincias, tractumque omnem Rhenenſem accepit, bellis adverſus Francos & Alemannos ad Rheunum incly-

cly-

Digitized by Google

clytus. Ab an. 293 tamen usque ad 301 vel pacis vel induciarum intervallum fuiſſe, ex ſilentio ſcriptorum conjicimus, eoque intervallo Mercurii ædes ad Nicrum, imperii Rom. limitem, ob commerciorum forte cum ipſis Germanis felicitatem, extructa. Proximos enim Rheno Germanos uſos commerciis, aurum & argentum Romanorum in pretio habuiſſe, auctor eſt Tacitus (*x*), qui & negociatores Romanos ad Rhenum commemorat. Negotiator gladiarius, veteranus legionis XXII, Fortunæ templum Moguntiæ extruxit (*y*). Solius Conſtantii nomen & conſulatum Bellonius expreſſit, quod ſolus Conſtantius his in partibus regnavit. Sunt exempla alia minime rara, quibus alteruter tantum conſul memoratur in lapidibus, omiſſo collega.

Animadverte quæſo, mores & genium ſeculi, quo univerſa domus auguſta primum, dicta divina, dein Mercurius deus ejusque ædes, inde legio, poſt legionem centurio & nomen ejus primarium, viroque militari honorificentiſſimum, a deo quippe bellorum præſide deſumptum, poſtremo tempus, quo monumentum poſitum, enuntiantur. Brevitas quidem Romana & ſimplicitas adeſt, at ſimplicitas adulatione omnino corrupta.

Paucis ſupra Obrighemium lapidibus ad alteram Neccari ripam, dextram ſcilicet, in monte S. Michaelis prope Gundelshemium oppidulum, ſervatur adhuc elegans Jovis & Junonis ara; a *Cajo Fabio Germano*, *Beneficiario Conſulis*, *pro ſe & ſuis* poſita, cujus epigramma Gruterus (*z*), ornamenta vero univerſitatis Trajectinæ ornamentum, Chriſtoph. Saxius (*a*), deſcripſerunt, uterque ex ſchedis Cluſianis, ſatis accurate.

 Sed

(*x*) *De mor. Germ.* cap. v.

(*y*) *Joannis ſcriptor. Mogunt.* tom. III, pag. 342.

(*z*) *Inſcript.* tom. I, pag. VII. 4.

(*a*) *Peric. animadverſ. in aliquot claſſica marmorum ſyntagm.* pag. 22.

Digitized by Google

Sed & prope Heilbronnam ad Neccarum plures antiquitatis Romanæ lapides effoſſi ſunt, votivi omnes, aræ ſcilicet Mithræ, Fortunæ Reſpicientis, Jovis, Martis ac Genii loci, quæ poſtrema a Cajo Julio Quieto, alio beneficiario conſulis, poſita fuit. Titulos ſepulcrales, qui frequentiſſimi ſunt Moguntiæ, Wormatiæ, Spiræ, in ripis his Neccarianis reperimus nullos. In ſiniſtra Rheni ripa res tutior erat Romanorum, ut ſepulcra ibi ſua haberent ſecure. At in Germania, ultra Rhenum, nonniſi aras, ædes & ſigna deorum poſuerunt, quibus dubios imperii ſui fines firmari haud dubie crediderunt adverſus hoſtes.

Num. 2. Ara Fort. Erbacenſis. Ex vicino nobis comitatu Erbacenſi, electoratus Palatini feudo, Georgii Ludovici, illuſtriſſ. comitis, Furſtenaviæ ſedentis, dono, illatum quoque eſt muſeo lapidari Palatino monumentum præſtans, ex longo ſedecim ſeculorum decurſu illæſum. Forma lapidis aram indicat, literæ inſculptæ aram poſitam Fortunæ docent. Eleganti lapidis formæ inſcriptionem ſervatam procul dubio debemus. Detexit illam in ſacello vici *Bullau* Jo. Marquardus, Eberhardi comitis Erbac. ephorus, quum propter luem Heidelberga, quam ſtudiorum cauſa adierant, an. 1519 Furſtenaviam rediiſſent (*b*). Communicata cum Apiano & Amantio, Ingolſtadii in lucem mox edita eſt (*c*). Ex Apiano Janus Gruterus (*d*), Georgius Eccardus (*e*), Dan. Schneiderus (*f*) protulere. Schneiderum, rerum Erbacenſium ſcriptorem alias diligentiſſimum, & in comitatu hoc ipſo agentem, alienis oculis quam

(*b*) Teſtis ipſe Eberhardus comes in vita ſua apud *Schneider hiſtor. Erbac.* pag. 169.

(*c*) An. 1534. in *ſacroſanctae vetuſt. inſcript.* pag. 460.

(*d*) Pag. LXXII, n. 7.

(*e*) *De rebus Franciae orient.* lib. 1, pag. 8.

(*f*) *Hiſt. Erbac.* pag. 271.

Digitized by Google

quam ſuis lapidem videre maluiſſe, miror. Non ad veritatem enim autographi, ſed qualem dederat Apianus, cum Grutero & Eccardo illum expreſſit. Inſcriptionem quatuor linearum, quinque lineis exhibuere, & literarum, quæ adſunt, compendia neglexerunt omnes. Imo Eccardus ſignum 7 centurionis plane omiſit; quid ſit aut velit, forte ignarus. In linea tertia vitium latere ſuſpicatus eſt Marq. Gudius, qui pro SECCIANVS legendum eſſe conjecit vel SEXTIANVS vel SEPPIANVS (*g*), ſed contra lapidem. Dein formulæ ſolennis V. S. L. M. defectus Apianum & Gruterum induxit, ut lapidem inferiore ſui parte truncatum exhiberent. Diſpellit hanc omnem ſive errorum ſive conjecturarum nubem lapis ante oculos noſtros jam poſitus, novo argumento, in re epigraphica veterum, quantumvis ævo noſtro exculta, plurima ex autographis emendanda & reſtituenda ſupereſſe.

Docemur autem ex marmore hoc noſtro, Romanis in ſilva Odonica, inter Moenum & Nicrum, ſtationes ſuas & excubias habuiſſe ex LEGIONE VIII. AVGVSTA, cujus *centurio* erat LVCIVS FAVONIVS SECCIANVS. Gentis *Favoniae* nomen obvium eſt in monumentis antiquis apud Gruterum. Cognomen *Seccianus*, quod alibi non occurrit, tractum videtur a matre, quæ ex gente *Seccia* erat. SECCIUS SECUNDINUS VET. LEG. II. ITAL. & SECCIA SECUNDINA, filia ejus, leguntur in epigraphe antiqua Celejæ, Styriæ inferioris oppidi (*h*). Factum enim ſub imperatoribus, ut filius natu major cognomen a patre, minor a matre acciperet, nomine gentilitio matris in *anus* producto, quum ſtante republica Rom. fratres ſolo, uti ſupra jam monuimus, diſtincti fuiſſent prænomine (*i*).

 Le-

(*g*) In not. ad noviſſimam operis Gruteriani editionem loc. cit.

(*h*) *Apiani inſcript.* pag. CCCLXXV. & *Gruteri* pag. DLX. 6.

(*i*) *Cannegieter de mutata Romanor. nominum ſub principibus ratione* cap. III, pag. 10.

Digitized by Google

Legionis VIII. Aug. ad Rhenum ſup. Moenum & Neccarum ſeculo II & ineunte tertio militantis, monumenta alia plura ſuperſunt in Alſatia (*k*), Moguntiæ (*l*) atque Heilbronnæ (*m*). Imp. Antonino IV & M. Aurelio II coſſ. id eſt, an. Chr. 145, Moguntiacenſe; Heilbronnenſe Torquato & Juliano coſſ. id eſt, an. Chr. 148, poſita fuere. Medio eidem ſeculo ſecundo aram noſtram Fortunæ Bullavienſem adſcribo, æque ac Heidelbergenſem quadrilateram, Fortunæ ſtatæ imagine conſpicuam, de qua ſupra. In utroque hoc ſaxo, & in Heilbronnenſi, litatur Fortunæ; iidem ductus & compendia literarum, eadem operis elegantia.

Sub Caracalla imp. legio VIII *Antoniniana* cognominata eſt. Miles leg. VIII Antoninianæ Aug. Antonino IIII & Balbino II coſſ. (æræ chriſtianæ an. 213) Genio ſancto prope Moguntiacum aram dicavit (*n*).

Imperantibus itaque Antoninis, Pio atque Philoſopho, Romani non tantum inter Rhenum, Nicrum atque Danubium dominati ſunt, ſed & inter Rhenum, Nicrum ac Moenum; id quod non ſolum ara noſtra Favonii, ſed & alia varii generis monumenta, in tractu iſto adhuc reſidua, teſtatum faciunt.

Supereſt inter alia Durnii, vulgo *Wald-Düren*, prope Amorbacum, ditionis Moguntinæ inter Moenum & Nicrum oppidum, aræ Martis & Victoriæ fragmentum, cum hac epigraphe:

PRO SALVTE AVGG.
MARTI ET VICTO
RIAE ARAM PO
SVIT C. COMINI
. . . .
. . . .

De-

(*k*) *Alſatia illuſtr.* tom. I, pag. 509. tab. XII.
(*l*) *Huttichius collect. monum. Mog.* pag. 31. *Gruterus* pag. CVIII. I.
(*m*) *Schelhornii amoenit. liter.* tom. X, pag. 1208.
(*n*) *Apianus* pag. CCCCLXXXI.

Deſcripſit & nuperrime mecum communicavit Steph. Alexander Würdtwein, collega noſter non dignitate magis ſua quam humanitate & doctrina in paucis venerandus. Aræ *Martis & Victoriae* non obviæ ſunt. Unicam Muratorius (*o*) habet ex Dacia. Noſtra belli cum Germanis quoque in Germania feliciter geſti monumentum eſt indubiæ fidei.

PAGI LOBODUNENSIS,

Qualis ſub Carolingis maxime regibus fuit, Deſcriptio.

Auctor

ANDREAS LAMEJUS.

§. I.

Geographia, vetus & media, lumen hiſtoriæ, viros ubique doctos pridem exercuit, nondum ſatis. In rebus ſuperioris ævi noſtrarum origines latent, quas recte noſſe, tanto dignius homine eſt, quanto difficilius. Interciderunt cum incolis ſuis loca, nominaque regionum & locorum plurima, & quæ viciſſitudines has nobis aperirent, monumenta antiqua, aut injuria temporum deleta ſunt, aut in ergaſtulis ſcriniorum magnam partem adhuc occluſa. Suum quisque principatus ſibi geographum poſtulat, laboris patientem, qui quæ deſcribenda ſunt, ipſe videat atque exploret. Nos nunc curabimus noſtra. **Ratio operis.**

Electoratus Palatinus ad Rhenum, geographice ſumtus, ſex potiſſimum continetur regionibus, quas olim *pagos* Latine appellarunt, vernacule *gowe*. Pagi tres, iique majores, ad ſiniſtram Rheni fuerunt, Spirenſis, Wormatienſis, Navenſis; totidemque ad dextram, Lobodengovia, Craichgovia, Neckergovia.

(*o*) *Theſaur. inſcript.* tom. I, pag. XLV, n. 3.

Digitized by Google

via. Tribus nomina dedere fluvii, Nava, Craicha & Neccarus; reliquis urbes quondam primariæ, Loboduna, Spira atque Wormatia.

Pagos hos Marq. Freherus, ſcriptorum rerum Palat. ætate & eruditione princeps haud dubius, in *originibus*, quas exeunte ſeculo XVI. ſcripſit, *Palatinis*, ex Laurishamenſibus, quæ tum in Palatino ſcrinio ſervabantur, tabulis, nondum evulgatis, primus in lucem produxit; ea auctoritate & fide, ut ab eo diſcedere religioni ſibi duxerint, quotquot in eodem deinceps argumento verſati ſunt (*p*); niſi quod nonnulla ſuppleverit Godofredus Beſſelius (*q*), præter Laurishamenſia Fuldenſibus aliisque adminiculis diplomaticis uſus, quæ noviſſima hac ætate publici facta ſunt juris. At multum abeſt, quin omnia nunc æquata ſint. Monſtraſſe potius rectam viam, quam calcaſſe dicendi ſunt viri ad majora nati, quam ut ſuum hac in re ſtudium omne ponerent. Quæ cum ita ſint, telam ab illis relictam pro viribus noſtris retexere decrevimus, non ut pertexamus omnem, ſed ut pertexendi ſaltem reddamus aliis faciliorem.


§. II.

Pagi caput Loboduna. Brevi quatuor leucarum intervallo tres ad Neccarum, Rheno miſceri properantem, ſitæ ſunt urbes, primatum quæque ſuo jure exercentes & ordine. Sex minimum per ſecula Loboduna, quæ

(*p*) *Tolner. hiſt. Palat.* cod. diplom. pag. 10. *Paullini de pagis Germaniae* pag. 115. ſqq. *Juncker geograph. medii aevi* part. II, cap. V, ubi de pagis Germaniæ. *Struvius* in nova edit. *ſcriptor. rer. Germ. Freheri* tom. I.

(*q*) *Prodr. chron. Gottvic.* part. II.

Digitized by Google



Par F Denis Ing. Lieut. 1766.

Digitized by Google

Digitized by Google

quæ media, poſt Heidelberga regnavit; nunc regnat Mannhemium, quæ quum imperii diuturnitate illas æquaverit, quin ad Lobodunam principatus redeat, me ſane non habebit refragantem. Loboduna itaque locus hujus tractus primarius fuit, caſtro munitus ac mœnibus, Heidelberga civitas cum nondum in rerum natura, Manahemiumque dum villa aut vicus eſſet ignobilis.

Pagus Lobodunenſis *Lobodengowe*, *Lobdengowe* olim dictus eſt Germanice; *Lobedunburg*, *Lobdenburg*, *Lobodo*, *Loboduna*, pagi caput. Seculo ſeptimo Dagobertus, rex Francorum, primus an ſecundus neſcio, anno regni ſui ſexto, omnes res juris ſui in *pago Lobedunburg*, excepto ſtipe & comitatu, id eſt, *civitatem Lobdenburg* & palatium ibidem, eccleſiæ Wormat. donavit (*r*). De comitatu, quem rex ſervavit, infra agetur. Seculi ſequentis anno ſexageſimo quinto novæ Laurishamenſi abbatiæ *in Lobodone caſtro* & in *Loboduna civitate publica*, id eſt, regia, factæ ſunt bonorum traditiones (*s*). Henricus II imp. eccleſiæ Wormat. menſe martio an. 1006 diploma dedit in *Laudenburc* (*t*). Ex Laudenburg denique prodiit *Ladenburg*, hodiernum nomen.

§. III.

Sequitur jam recenſus ſingulorum, quæ pagus Lobodun. complexus eſt, locorum ſatis plenus, in quo non nuda tantum, ut ante nos alii fecerunt, nomina, ſed qua occaſione, quibus in membranis, quibusque annis illa primum compareant, exprimenda eſſe duximus, idque propriis ut plurimum verbis tabularum veterum, ut major ſit fides. Certa a dubiis, vera a falſis ſolicite diſcernemus, quum ipſæ chartæ antiquæ ſibi quandoque non conſtent, incuria vel ignorantia ſcribarum. In recenſu vero Loca pagi.

Ee hoc

(*r*) *Schannat. hiſt. Wormat.* tom. I, pag. 309.

(*s*) *Helwichii antiquit. Laurish.* cap. I, §. VII, & cap. II, §. IV.

(*t*) *Schannat.* l. c. tom. II, pag. 37.

Digitized by Google

hoc ſonticas ob cauſas ordinem ſequemur codicis traditionum Laurishamenſis, minima ſui parte a Frehero atque Helwichio editi, cui tantum non omnia nos debere, grati profitemur. Initium ejus fit a pago Rhinenſi, in quo monaſterium Laurisham. ſitum eſt ipſum. Excipit hunc Lobodunenſis, ad meridiem confinis, ita ut traditiones exhibeantur primæ, quæ factæ ſunt in locis, inter Rhenigoviam & Neccarum ſitis, adeoque in boreali Lobdengoviæ parte. Neccarus enim pagum hunc medium ſecat. In boreali hacLobdengovia primum recenſentur vici & villæ ſtratæ montanæ a Neccaro usque ad Winhemium, nobiliſſima pagi pars; dein quæ in dextra Neccari ripa; indeque illa, quæ ſunt ad Rhenum.

§. IV.

Ad ſtratam montanam.

Ad viam itaque regiam, quæ jam inde a Carolingico ævo *ſtrata montana*, *ſtrata montium* & *via publica* dicitur, ex codice Laurishamenſi loca proponimus ſequentia.

NIUUENHEIM. Anno IV Pippini regis a Gumperto vineam in pago Lobdunenſi in villa Niuuenheim, inter viam publicam & fluv. *Neckar*, ab aliis alia ibidem Laurishamenſes accepere (*u*). Ad vicum hunc ſine dubio pertinuit villa *Niuuenhofen*, in qua vineam dedit Erembertus anno quinto Karoli regis. Rupertus & Hado ſuper fluvium *Neckar* in Niuwenhofen, in confini Hantſchuesheim, vineam quoque donarunt anno XIV ejusdem regis. Supereſt villa *Munchhof* prope Neuenhemium verſus Hantſchuchshemium.

HANTSCUHESHEIM. In pago *Lubodoninſe* in villa Hantſcuhesheim Hildibertus; in pago *Lobodoninſe* in villa *Hantſcuesheim* ſuper fluvium *Neckar* Sigewinus vineas ſub Pipino rege; Giſelhelmus propriſum ſuum in *Odenwalt* ſilva, in *Hantſcuhesheimer* marca, in pago Lubodoninſe, ſuper fluvium *Neckar* & *Uluina* anno IV Karoli regis; biennio poſt Regintrudis vineam juxta eccleſiam

(*u*) *Helwichii antiq. Laurish.* c. 11, §. 5.

Digitized by Google

ſiam conſtructam in honorem S. Nazarii in eadem villa Laurishamenſi cœnobio tradiderunt.

Supra Niuuenheim & Hantſchuhesheim, in faſtigio montis, Heidelbergæ oppoſiti, fuit locus munitus & ſacer regii juris

ABERINESBURG. Ludovicus rex in pago nuncupato *Lobodengouue* locum quendam, qui nominatur Aberinesburg, ſicuti ipſum conjux ejus Liutgardis habuerat, cum domibus, ædificiis, mancipiis, vineis &c. monaſterio Laureſham. donavit. Actum Franconofurt palatio regio, anno incarnat. 882. (*x*). Latine *mons Abrahae* vocabatur. Femina quædam Rutsuuind ad aulam S. Archangeli Michaelis, quæ conſtructa eſt in pago Lobod. in monte, qui vocatur mons Abrahæ, jurnales v & dimidium in Ebbelenheimero marca obtulit. Actum publice in cacumine montis Abrahæ xv kal. Jan. regnante Arnolfo rege, anno IV regni ejus (*y*). Datum quoque Conradi regis diploma an. 912 in monte *Abirinesburg* (*z*), qui mons ſanctus, vulgo *Heiligberg* dictus eſt, poſtquam Tiotrochus abbas Laurish. qui an. 875 obiit, monaſterium ibi extruxerat (*a*).

HILLENBACH. Madalold in pago Lobodonenſi in ſilva pertinente ad Hillenbach ſuper fluvio *Ulvana* in loco, qui dicitur *Ulvanowa*, unam owam pro ſex unciis argenti Gundelando abbati vendidit. Giſelhelmus quoque vineam in *Hillinbach* & ſuper fluvium Ulvana portionem ſuam owæ, quam Madalol vendiderat, eidem cœnobio tradidit an. XIV Caroli regis. Berolfus jurnalem dedit & pratum inter *Hantſchuhesheim* & *Hillinbach*. Periit hic vicus inter Hantſchuchsheim & Doſſenheim.

Ee 2 Sed

(*x*) *Freheri orig. Palat.* in append. p. 33. *Helwichii antiq. Laurish.* cap. x, §. I.

(*y*) Ibid. cap. XI, §. VI.

(*z*) *Freherus* l. c. pag. 35. & *Helwich* cap. XIII.

(*a*) Ibid. cap. VIII.

Sed & Hantſchucheshemio proximum fuit

TITTILESHEIM. Anno XXIX Karoli regis Erkanbertus rem ſuam dedit in pago Lobod. inter Hantſchuhesheim & Tittilesheim.

DOSSENHEIM. Anno XV Pippini regis Bertrudis in pago Lobodonenſi in loco Doſſenheim nuncupato, & anno X Karoli regis Rampertus & Wolfsuind in eodem pago ac loco rem ſuam, triennio poſt vineam cum uno ſtirpo Herifridus, baſilicam ibidem Trutbaldus & Theoterat conjuges; alia Bernhardus in Doſſenh. in loco, qui dicitur *Bernhardeshuſun*, ſub Carolo rege tradiderunt. Cum villa Doſſenheim in pago Lobodon. ponitur

STEIMBACH in traditione Eſerihci & Heimrici ſub Karolo rege. Videtur eſſe *Steinach* retro Doſſenhemium in valle.

SCRIZZESHEIM, hod. *Schriesheim.* Hairiradus in pago Lobodonenſi in villa cognominata Scrizzesheim vineam ſuam anno XIV Pipini regis; in eodem pago Lobodoninſe in *Scrizesheim* & in *Sahſenheim* vineas ſuas Adalfridis pro anima viri ſui Otperti & patris ſui Theotdacari, nec non & filii Humberti anno XLI Karoli regis obtulerunt.

SAHSENHEIM. Abbas Laurisham. cum Nithardo, viro ingenuo, concambium bonorum an. 849 inivit, pro huba una in pago Lobodonenſi in villa Sahſenheim accipiens, quidquid Nithardus poſſedit in eodem pago in *Thiedungeswilre.* Liutharius quidam res proprietatis ſuæ in pago Lobodonenſe in wilare Huſa & in villa nuncupata *Sahſenheim minore*, & in *altera Sahſenheim* &c. eidem abbatiæ contulit an. 877.

LIUTHERESHUSON marcæ Virnunheim cum Heteneshelm ad orientem ponitur limes. Geriniu quædam, femina nobilis, rem ſuam in pago Lobodoninſe, in Sahſſenheimero marca S. Nazario obtulit, ut eam una cum aliis bonis in eodem pago & in villa *Liutershuſon* ad dies vitæ ſuæ in beneficium reciperet. Actum in Lauresham an. 989. Eandem villam inter Doſſenheim & Sahs-

Digitized by Google

Sahſſenheim recenſet diploma Henrici iv imp. anno 1103 (*b*).

Winenheim, hodie *Weinheim*, notiſſimum ſtratæ montanæ oppidulum, in Lobodonenſis & Rhenenſis pagorum confinio ſitum. Raſſoldus comes ad baſilicam S. Nazarii res ſuas in *pago Renenſe & in Lobodonenſe ſitas in villa Winenheim* an. xxii Karoli regis tradidit. In multis aliis ejusdem temporis & monaſterii traditionibus *Vinnenheim in pago Lobodoninſe* ponitur. Otto iii imp. publicum mercatum hoc in loco inſtitui an. 1000 & Henricus iv monetam cudi permiſit an. 1065.

Birckenowa cum Winenheim recenſetur in locis, quæ ſita ſunt intra limites ſilvæ ad Hephenheim ante Carolum M. pertinentis (*c*). Locus cum Weinhemio ad diœceſim Wormat. hodieque ſpectat. Werinharius comes villam Winenheim & cellam prope eandem villam nuncupatam *Birkenouua* an. 846 a Laurishamenſibus in precariam accepit.

§. V.

His ad ſtratam montanam peragratis, redimus ad Neccarum, ripam ejus dextram lecturi usque ad Rhenum, duce iterum codice traditionum Laurishamenſi. Ad dextram Neccari.

Suaboheim, *Suabeheim* & *Suabenheim* promiſcue habent chartæ Laurishamenſes. Eandem villam pagi Lobodunenſis prodit traditio Fuldenſis, facta in Loboduna civitate & ſignata a Warino comite a. 764. (*d*) Supereſt villa *Schwabenhoff* ſupra Lobodunam.

Lobedenburg, pagi caput, de quo ſupra.

(*b*) *Freh. orig. Palat.* part. 1, append. pag. 52.

(*c*) *Freher.* l. c. pag. 49.

(*d*) *Schannat. tradit. Fuld.* num. 21.

Digitized by Google

BUTTHESHEIM. Anno IV Pippini regis Marcharius ad baſilicam S. Petri in villa Hepphenheim portionem ſuam in villa Wineriheim tradidit. Actum in villa *Butthesheim juxta Lobetdenburc* XVI kal. Aug. *Buodesheimero* marca cum Hantſcuhesheim & Rohrbach conjungitur in traditione Hiltrádis an 900.

CILOLFESHEIM. Engilbertus & Wicbertus rem ſuam in pago *Loboduninſe* in *Cilolfesheim*, excepta una via & uno ſtirpo (*e*), habente in longitudine perticas XXX, in latitudine XX, Laurishamenſibus dono tradiderunt an. XV Ludewici imp. Nomen Cilolfesheim deinceps contractum in *Zilvesheim*. Berwelfus de Laudenburg agros ſuos in Zilvesheim & vineam in Lutzelſaſſenheim eisdem monachis reliquiſſe legitur (*f*). Periit hic vicus in marca Ladenburgenſi, in qua adhuc fundum ejus *Zeitzheimergrund* appellant.

ULVINISHEIM, hod. *Ilvesheim*. Sub Pipino rege factæ ſunt Laurishami traditiones bonorum in pago *Lobodonenſi*, in loco *Ulvinisheim cis fluvium Nekker*, & *ſuper fluvium Nekra*. Alia charta data eſt in *Ulvenesheim* in cimiterio an. 951.

WALAHASTAT. Wanilo filius Guntzonis dedit in pago *Lobodoninſe*, in villa, quæ dicitur *Walahaſtat*, manſum unum an. XV Pippini regis. Biennio poſt Richlindis bona ſua in *Walahaſtat ſuperiore & inferiore inter ambas marcas*, & Chriſtiania quædam, quidquid habuit in *duabus villis, quae dicuntur Walahaſtat*, an. XIII Karoli regis S. Nazario contulerunt.

VITENHEIM in pago Lobodun. an. XV Pippini regis, *Videnheim* cum Mannenheim an. VI Karoli, & quadriennio poſt *Vittenheim* cum Hantſchuhesheim occurrit. Scribitur nunc *Feidenheim*.

DORN-

(*e*) Alias ſtirpaticum, ſilva exſtirpata, vernacule *geriitte*, *rode*.

(*f*) In necrolog. Laurish. ap. *Schannat. vindem. lit.* collect. I, pag. 38.

Digitized by Google

Dornheim, villa deperdita. Sigeuuinus tertiam partem manſi in pago Lobodonenſi, in loco, qui vocatur *Dornheim, ſuper fluvio Nekere*, anno XIV Pippini regis, & anno XVIII Karoli alius Sigeuuinus monachus rem ſuam in eodem loco, manſum nempe cum ædificiis, tradiderunt. Sunt chartæ ſub Pipino ſcriptæ, quæ terræ inter *Dornheim* & *Mannenheim*, nec non terræ inter *Walahaſtat* & *Dornheim* faciunt mentionem. An. 1287 Ludovicus Severus, Comes Palatinus, filii ſui Ludovici ſponſæ, Eliſabethæ Lotharingicæ, donavit propter nuptias *caſtrum Hauſen & duas villas Dornheim & Mannenheim caſtro attinentes* (g). Caſtrum Hauſen deinceps *Rheinhauſen* dictum eſt, cujus rudera & nomen adhuc ſuperſunt in agro Mannheimenſi ad viam, quæ Suezzingam ducit.

Mannenheim. Trutbertus manſum & terræ araturiæ jurnales tres cum petiola prati in *Mannenheim* S. Nazario donavit II idus Martii an. XIV Pipini regis, h. e. an. Chr. 765. Eodem anno Udo & Raffoldus fratres rem ſuam in pago *Lobodonenſi*, in *fine Mannenheim*, vendiderunt. Trutbaldus in *Manninheimer marca* medietatem portionis ſuæ *de inſula in Reno fluvio, quae juxta illam villam* ſita, Laurishamenſibus tradidit an. XIV Karoli regis. Sed & Arnolfus rex atque Liutherus comes in pago Lobodon. in villa Mannenheim jurnales tres de terra araturia S. Nazario obtulerunt.

§. VI.

Mannenhemii Rhenum attigimus. Deſcendamus itaque, in dextra fluvii hujus ripa, nunc plane mutata, ad villas, quæ illam tunc occuparunt, ſequentes: Ad dextram Rheni.

Ot-

(g) *Oefelii ſcriptor. rerum Boicar.* tom. II, pag. 110.

Digitized by Google

Ottincheim. In pago *Lobodonenſi* in *Otdinchcimer* marca pratum unum *ſuper fluvium Renum in Hillo* Theutdulfus & Ida conjuges anno IV Karoli regis. Bruno & Adelbertus in pago Lobod. in villa, quæ dicitur *Ottincheim*, vel in ejus marca manſos II & in ipſis manſis vineam I, & pomaria in ambobus & jurnales XIII de terra araturia & prata ad carradas feni XII in duobus locis an. XI Ludowici Pii tradiderunt. Locus nunc dicitur *Edigheim*, quem Rhenus, mutato alveo, ex dextra ſua ripa in ſiniſtram, adeoque ex pago Lobod. in Wormatienſem transpoſuit.

Obfowa. Benno & Giſa conjuges in pago *Lobodengowe*, in villa, quæ dicitur *Obfowa*, manſum inter res S. Martini & domini regis cum mancipiis decem an. XI. Karoli imp. donarunt. De villis *Otincheim* & *Hophouua*, in pago *Lobodengouue* ſitis an. 888, Arnolfi regis diploma habemus, de quo infra in comitibus. Eodem tamen anno idem Arnolfus rex Reginberto cuidam in pago *Wormazveldun*, in comitatu Walahonis, in villa nuncupata *Hoffouua*, eccleſiam cum hubis ſex &c. largitus eſt; unde Oppaviam ita in Rheno ſitam fuiſſe colligeres, ut utrique pago, Lobodunenſi & Wormatienſi potuiſſet adſcribi. Dubium hunc ſitum indicare quoque mihi videtur, charta Johannis de Siberch, qua monaſterio Schonaug. allodium ſuum *Opphaue* vendidit cum omnibus attinentiis *infra* (intra) *Renum & ultra Renum*, an. 1232. (*h*) Marca Oppavienſis hodieque in utramque Rheni ripam extenſa eſt; idemque locus in ſacris capitulo rurali Weinheimenſi ſeculo XV cum Edighemio manebat addictus (*i*).

Sunthove, hod. *Sandhofen*. Anno 888 Arnolfus rex Sigolfo cuidam fideli in comitatu Wormat. in *Rocchesheimero* marca aream & jurnales XXV, & inſulam unam, quæ nominatur *Sai-*

(*h*) In *Gudeni ſylloge diplom.* pag. 181.

(*i*) Vid. *Schannat. hiſt. epiſc. Wormat.* tom. I, pag. 44.

Digitized by Google

Saigenwert, jacentem in ripa Rheni; & in *comitatu Lobodon.* in villa *Sunthove* hubas tres cum manſis &c. ad dies vitæ conceſſit, ut poſt obitum ejus ad monaſterium Laureſham, cui Sigolfus erat præpoſitus, pervenirent.

Scarra. Pipino rege Willisvinda Deo ſacrata in pago *Lobodon. in loco nuncupato Scarra, ſuper fluvium Renum*, manſos, caſas & baſilicam, quæ conſtructa in honorem S. Germani; dein an. IV Karoli regis Theutheri & Herilint conjuges omnem conlaboratum ſuum in pago Lobod. in *Scara* cum ſex mancipiis S. Nazario donarunt. Nominatur hodie *Scharhof*, villa ex vico ſuperſtes.

§. VII.

Præterea Rhenum inter & ſtratam montanam in pago Lobodonenſi collocantur alibi: Loca intermedia.

Virnunheim, hod. *Virnheim*, qui vicus ſub Arnolfo imp. & filio ejus Ludovico rege ex beneficio regio Regibodonis primum, dein monaſterii Laurisham. proprietas evaſit, ut infra in comitibus hujus pagi docetur. Traditionem curtis *Firnunheim* dictæ & in pago, qui dicitur *Lobodengouue*, ſitæ, Ludovicus rex an. 906 Laurishamenſibus confirmavit.

Strazheim, in notitia marcæ Virnunheim ſec. x apud Freherum (*k*) ſcribitur Virnhemio fuiſſe confine. Idem nomen comparet poſt Wibelingen in Henrici IV imp. diplomate Laurish. Spiræ dato an. 1103 (*l*). Supereſt adhuc villa, vici hujus extincti retinens nomen.

Hedenesheim cum Vitenheim conjungitur in traditione Geroldi & uxoris ejus Idiburgæ ſeculo x. (*m*) In notitia marcæ

(*k*) *Orig. Palat.* part. I, pag. 52.

(*l*) Ibid. append. pag. 40.

(*m*) *Helwich antiqq. Laurish.* cap. XIV, §. III.

Digitized by Google

Virnunheim, quam locus hic ad orientem terminabat (*n*), & in Henrici IV diplomate allegato *Hetenesheim* ſcribitur, hod. *Heidesheim.*

HOHENSTATT. Anno X Karoli regis Rutbertus vendidit terram araturiam in *Ulvinisheim, inter Mannenheim & inter Hohenſteter* marcam. Quadriennio poſt idem Rutbertus dedit in *Hohſtad* & in Ulvinesheim duo prata. Carolum M. jus piſcandi in Rheno an. 777 conceſſiſſe in loco *Godenouua, infra* (i. e. intra) *finem Hohſtat*, chronicon Laurisham. (*o*) docet.

§. VIII.

Ad ſiniſtram Neccari.

Miſſis infra Neccarum locis, fluvium hunc trajicimus, ut quis in ſiniſtra ejus ripa ſtatus geographicus fuerit, videamus. Primus autem ex codice Laurishamenſi hic nobis vicus innoteſcit

HERIMUNDESHEIM. Anno III Karoli regis in pago *Lobodonenſi* in *Herimundesheim*, manſos, campos, terras araturias, paſcua, ſilvas, aquas Radulfus; anno XX ejusdem regis Wolfwin in *Herimundisheim in Mulino marca* quatuor jurnales, alii alia dedere. In Liutharii traditione an. 877 hubæ tres *inter Vitenheim, Ulvenesheim & Herimuntesheim* commemorantur. Vicus hic *Hermsheim* cum Neckerovia, quam ex aliis inſtrumentis ſubjungimus, pridem coaluit.

NECCRAUVIA. Decimam fiſci ſui Neccrauviæ Carolus M. Altrepiæ monaſterio dederat, quum fiſci hujus ſervi penes Ludovicum Pium, Caroli filium, quererentur, ſe Rheni fluminis eluvione ab eccleſia Altrepiæ prohiberi. Ludovicus itaque curtile & manſum in eodem fiſco dedit ad eccleſiam conſtruendam, quam

(*n*) *Freheri orig.* part. I, pag. 52.

(*o*) Ejusd. *ſcriptores rer. Germ.* t. I, pag. 100.

Digitized by Google

quam monachorum in Altrepia curæ ſubjecit; idque Ludovicus Germ. dato Francofurti abbatiæ Prumienſi, ad quam Altrepia pertinebat, diplomate an. 868 confirmavit (*p*). Sed & triennio poſt de *villa Naucravia* ripam Rheni fluminis & terminos conjacentes ad ripam Rheni, ad piſcationem & vinnam (*q*) faciendam, eidem abbatiæ firmavit (*r*). Carolus Craſſus inſuper ei curtem *Nechkarauwa* in comitatu *Loubungowe* & tertiam partem ſilvæ, ad Luidolvesheim ſpectantis, an. 882 Wormatiæ adſcripſit (*s*).

Clophheim. Anno tertio regni Karoli Leidrad pratum in pago *Lobod.* in *Clophheimero* marca, in *der Malenowa;* Ado in *Sicchenheim, quae eſt in Clophheimer marca*, octo jurnales terræ araturiæ an. XXXII ejusdem regis dederunt. Periit hic vicus diſtantia mille circiter paſſuum a Seckenhemio verſus Neckeroviam, ubi rudera ſuperſunt ſacelli veteris, quod ad eccleſiam collegiatam S. Martini Wormat. pertinuit.

Sikkenheim, hod. *Seckenheim.* Anno XIV Pipini regis S. Nazario traditæ ſunt Sigeberti cujusdam in pago *Lobodonenſe* poſſeſſiones, in *villa cognominata Sikkenheim.* Actum Finnenheim publice. Waltpertus in *Sicchenheimero marca* unum pratum in *Norderowa* anno XX Karoli regis, & Ludovicus Pius anno imperii ſui X eccleſiam in *Siggenheim ſuper fluvium Necchar* in pago *Lobo-*

(*p*) In *Martenii ampliſſ. collect.* tom. I, col. 187. & *Honthemii hiſt. Trevir.* tom. I, pag. 209.

(*q*) Vinnam & vennam ſeptum ad intercipiendos piſces Cangius interpretatur. Vennam in marca Windinga cum ſilvula, quam Cone rivus alluit, ad inſtaurandam eandem vennam, Arnolfus rex S. Maximini monaſterio confirmavit. *Martenius* l. c. col. 224.

(*r*) Ibid. col. 193. *Honthemius* pag. 214 fallitur, pro Naucravia legendum *Baucraviam* & Baccharacum intelligendum eſſe ſtatuens.

(*s*) Martene l. c. col. 215.

Lobotengouue (*t*) eidem monaſterio donarunt. Nonnunquam *Sigirihesheim*, *Sigirichesheim* & *Sigirickesheim* locus hic ſcribitur.

GRENESHEIM. In pago *Lobodengouui*, in villa, quæ dicitur *Grenesheim*, Heimmingus & Amaltrudis conjuges manſum dederunt anno tertio Karoli regis; Hildrich & Becca conjuges, quidquid habuerunt in Lobodoninſe, in locis Hantſcuhesheim & *Granisheim* nuncupatis, anno decimo ejusdem regis; Muatolſus vero *biſangum* (ſeptum) inter *Edingen* & *Grenesheim*, cui adjungitur ex una parte *Wibilingero* marca, anno nono Ludowici imp. Actum in ipſo illo bifango. Supereſt adhuc villa *Grenshof*.

HUSUN. Inter traditiones Laurish. in Edingen factas, extat charta Zilinæ, quæ dedit vineam unam *ad illas caſas quae dicuntur Huſun*, anno v Karoli regis. Eodem rege Carolo M. Eberuuinus & Rinoldus in *Granesheim* & in *Huſer marca* hubas quasdam tradidere. *Villa Huſen* in præcepto Caroli M. an. 798 cum Edinga comparet (*u*). Diſcriminis cauſa ſeculo XIII *Hauſen juxta Lautenburch* ſcribebatur, nunc *Necker-Hauſen*.

EDDINGEN. Machelmus & Herlindis conjuges III jurnales in *Eddingero marca*. Actum in *Loboduna* civitate publica XV kal. Dec. anno XIII Pippini regis. Anno ſequenti Agilbertus in pago *Lobodonenſi* unum manſum in *villa*, *quae dicitur Eddingum* Laurishamenſibus; Carolus M. eccleſiam in villa *Edinga* conſtructam & X manſos in villa Ulvesheim epiſcopo Wormat. an. 798 contulere (*x*).

WIBILINGEN. Rutlindis anno XV Pippini regis rem ſuam in pago *Lobodonenſi in villa*, *quae appellatur Wibilinga*; Erlibalt presbyter & Werinbalt filius Gunthelmi baſilicam cum manſo & ædi-

(*t*) *Helwich. antiq. Laurish.* cap. v, §. IX.

(*u*) *Schannat. hiſt. Worm.* tom. II, pag. 2.

(*x*) Ibidem.

Digitized by Google

ædificio ibidem tradiderunt. In nonnullis ævi Carolingici chartis vocatur *Bibilingen.* Duodecim manſis veſtitis cum caſis & xx hobis & mancipiis lx, in *Lobodengowe* & *Spiregowe*, coram ingenuis omnibus de *Wibilingen*, Bergeheim, Ebbelenheim, Blankenſtat & Suezzingen, Egisherus quidam ſub Carolo M. Laurishamenſes locupletavit.

Bergeheim. An. xviii Karoli regis Adalgardis in pago *Lobodonenſi* in *Bergeheim* vineam & mancipia ſex, alii alia tradiderunt. Vicum hunc a Ruperto electore an. 1392 in oppidum Heidelberg, quod longe recentius, translatum eſſe, docet Freherus (*y*).

Gowinberch hod. *Geyberg.* An. xii Karoli regis commutatione quadam bonorum inter Helmericum abbatem Laurisham. & illuſtrem virum nomine Herwigum facta, Herwigus in pago *Lobidunenſe* in *Bergeheim marca, in loco, qui dicitur Gowinberch* vineam, Helmericus vero rem Herwigi in pago Wormat. in Bermersheim marca accepit. Sed & biennio poſt alia commutatio inter eosdem facta eſt, ita ut abbas vineas S. Nazarii in *Bergeheim marca, in monte,* qui dicitur *Govinberg*, Heriwicus autem in Bermarsheim marca vineas in locis ſeptem dederit.

§. IX.

Adimus nunc cum codice noſtro remotiora a Neccaro verſus Craichgoviam loca: Loca ſupra Neccarum.

Suezzingen. Anno xv Pipini regis Laurishamenſes in pago *Lobodonenſi, in loco nuncupato Suezzingen, ſuper fluvium Swarzaha*, & anno xxxiiii Karoli regis in *Lobodonenſi in Suezzingen ſuperiore* manſum unum dono acceperunt. Vicus tum in ſuperiorem & inferiorem diviſus, nunc oppidi jure & æſtivo Principis ſui Electoris palatio gaudet.

(*y*) *Orig. Palat.* part. 1, cap. x.

Ebbelenheim. Walramus clericus manſos, terras, campos, prata, paſcua, ſilvas, vineta, domus, ædificia in pago *Lobod.* in locis nuncupatis Suaboheim, Eddingen, Sikkenheim, Waltdorf & *Ebbelenheim* cum viginti mancipiis S. Nazario dedit anno tertio Karoli regis. Quinquennio poſt Einoldus & Rhatsuind conjuges ad eccleſiam S. Nazarii in *villa Ebbelenheim*, in pago Lobod. cui venerabilis vir Erlebaldus presbyter præerat, manſum unum donavit. Actum in ipſa *villa Ebbelenheim.*

Blanckenstat. Rethuuinus quidam duo mancipia in *Blanckenſtat*, Willibertum & conjugem ejus Liuthildam, a Wolfsuuinda moriente pro monachis Laurisham. accepit anno octavo Karoli regis. Octennio poſt Geroldus & Imma conjuges tradiderunt, quidquid habuere in *Lobodengowe*, in Bercheim, Trutolfesheim & *Blanckenſtat.*

Rorbach. Anno 851, Ludowici ſuper orientales Francos regnantis duodecimo, Erluuinus & Suenehildis conjuges dederunt hobam legitimam in *villa Rorbach, quae ſita in pago Lobodoninſe.*

Chericheim. hod. *Kirchheim.* Anno XV Pipini regis Ruppertus & uxor ejus Tietradis in pago *Lobodun. in loco Offtresheim, qui eſt in Chericheimero marca*, Wolfuuin ſervum & manſum, in quo is manebat, cum ejusdem ſorte tradiderunt.

Leimheim, hod. *Leimen.* Rem ſuam in Edingun & *Leimheim* Machelmus an. XXIII Karoli regis; manſum cum hoba ſita in *Leinheim* & duo mancipia, Sigridum & Erkenhildam, Wicbodo & Heinricus dederunt anno X Ludewici imp. Biennio poſt in alia charta ſcribitur *Leheim.* Liutharius quidam, vir religioſus & ſpectabilis, in pago *Lobodonenſe* vineam unam ad *Leimheim* legavit an. 877.

Diuuelenheim. Warnherius in pago *Lobodonenſi ſuper fluvium Suarzaha in Diuuelenheim*, quidquid habere videbatur, anno XV Pippini regis; & Franko manſum cum hoba in *Diuuelenheimero marca, in loco, qui dicitur Hiltdibrandeshuſen*, anno XX Lu-

Digitized by Google

Ludowici regis ſuper orientales Francos, i. e. Germanici, Lauriſhamenſibus adſcripſere. Hod. *Dielheim* paulo ſupra Wiſsloch.

Boteresheim. Manſum in *Boteresheim* & xi jurnales terræ arabilis & quidquid ad ipſum manſum aſpicere videbatur, Einoldus & Lantbaldus anno Caroli regnantis quadrageſimo tradiderunt. Alibi *Butresheim*, *Buoteresheim* cum Edingen occurit, vicus pridem deperditus.

Nuzlohon hod. *Nuſsloch.* Anno xv Pipini regis Theuthardus & Richgardis in pago *Lobod.* vineas in Rohrbach & *Nuzlohon* dederunt. Alibi *Nuzloha* & *Nuzlohun* ſcribitur. *Wilare*, quod ſitum eſt in *Nuzlohero marca*, traditio Egilberti ſub Ludovico Pio prodit.

Wezzinloch, hod *Wiſsloch.* Juncmannus in pago *Lobod.* in *Wezzinloch* hobam indominicatam cum ædificio & pomiferis in ea conſitis & molendinum S. Nazario legavit anno xxxiii Karoli regis. Rambertus & uxor ejus Meginbirga dedere, quidquid in *villa vel marca Wezzenloch* proprietatis habuerunt. Actum publice in *villa Wezzenloch* anno xxv Ludowici imp. Sed & Arnolſus rex v kal. Dec. an. 889 *ad Wezzinloch* fiſcum ſuum Bruochmagat in Eliſatia Lauriſhamenſi abbatiæ largitus eſt dono.

Buridal hod. *Beyrthal.* Pro anima Itiſſæ Deo ſacratæ anno Lotharii imp. primo Rutbertus & Nendingus varia bona in pago *Lobodunenſi*, in Sigkenheim, Waltdorf, *Buridal* & Suezzinga S. Nazario obtulerunt.

§. X.

Poſtremo ſupra Suarzaham amnem pago Lobodunenſi annumerantur: Supra Suarzaham fl.

Offtresheim *in Chericheimero marca,* de qua in *Chericheim.* In Thanhardi traditione an. xx Karoli *Offterisheim*, in alia *Offtertsheim* vocatur, hod. *Offtersheim.*

Waltdorf, de quo ſupra in *Ebbelenheim.*

Wal-

WALDOLFESHUSEN. Ekkihardus & Boppo manſum & hobam, cum campis & pratis, in pago Lobod. *in villa, quae dicitur Waltdolſeshuſun*, anno XXX Karoli regis tradiderunt. Sunt duo vici *Bruchhauſen* & *Sandhauſen* in hoc ad Suarzaham tractu ſiti, quorum alteruter ſub iſto Waltdolfeshuſii nomine latere videtur.

§. XI.

Loca ſitu incerta.

Definit hic ſeries traditionum Laurisham. quæ in pago Lobodonenſi factæ ſunt. Hinc inde tamen in eodem pago diſerte collocantur loca quædam alia, nobis plane incognita:

DOTRISHEIM. Crothbertus & Teutruda in pago Wormac. partem curticellæ in Haſchinbrunne & in pago *Lubidunenſe in Dotrisheim* ſervum cum manſo ſuo & forte Laurishamenſibus tradiderunt anno XV Pipini regis.

HOCHUSEN. In traditione Emehildis an. XX Karoli regis cum *Anſcuesheim* & *Niuuenhofa* ponitur in pago *Lubdengowe.*

THIEDUNGESWILRE, de quo ſupra in *Sahſenheim.*

TRUTOLFESHEIM. Geroldus & Imma conjuges in pago Wormat. quædam & in pago *Lobedengowe in Bercheim & Trutolfesheim & Blanchenſtat* ſua omnia dederunt anno XVI Karoli regis.

§. XII.

Loca dubia.

Quæ hactenus enumeravimus, loca, vel diſertis veterum tabularum verbis pago Lobodunenſi adſcribuntur, vel ad eundem pagum certo pertinuiſſe, ex ſitu ſuo facile cognoſcuntur. Subjicimus iis nonnullorum catalogum, quæ in iisdem tabulis absque adjecta pagi mentione occurrunt, quæque ad Lobodunenſem ſpectaſſe non certum, ſed veriſimile eſt. Diſcrimen hoc inter certum & veriſimile neglexit Freherus, & qui eum ſecuti ſunt omnes.

HODO-

Digitized by Google

HODOMARON. Quidquid Rutpertus in *Waltdorph & Hodomaron* habuit, S. Nazarius dono accepit anno XIV Karoli regis.

HOHENMARTIN poſt *Hantſcuhesheim* legitur in traditione Rutperti anno XXVII Karoli regis. Freherus interpretatur *Hohenart*.

RAOLFESHUSON poſt *Edingen*, *Ebbelenheim*, *Waltdorph*, *Doſſenheim* & *Hantſcuhesheim* nominatur in charta traditionis Herdrici anno XXVIII Karoli regis.

SITENHEIM cum *Walahaſtat* occurrit in literis Engilberti & Wicberti anno XII Ludewici imp.

WESTHEIM inter *Suezzingen* & *Hantſcuhesheim* exprimitur in traditione Heilradi presbyteri, qua caſa & ſcuria hujus loci ad Laurishamenſes pervenit. Hatto archiep. Mogunt. & abbas Laurisham. acceptas a Cunigunda, veneranda matrona, res proprietatis ſuæ in *villis ſeu terminis Niwenheim*, *Strazheim* atque *Weſtheim* una cum monaſterio ſanctimonialium Rothaha, eidem ad dies vitæ in beneficium reddidit an. 903.

RUZONDUM, LIEBERESBACH, ZOZUNBACH atque RINTBACH, & locum, ubi Sclavi habitant, quæ omnia in ſilva Odonia retro Winhemium ad Wisgozam ſita, Liutharius quidam, vir ſpectabilis, præter *Winenheim* & *Birckenouua*, nec non res proprietatis ſuæ in pago *Lobodenenſe*, in *wilare Huſa*, *Sahſſenheim*, *Doſſenheim* &c. S. Nazario a ſe traditas, ad dies vitæ ſuæ in precariam recepit an. 877. Inſtrumentum teſtes ſignarunt Adalhardus, Eriufridus & Criſtanus comites.

XIII.

Ex univerſis, quæ hactenus enumeravimus, locis in Freheriano pagi Lobodunenſis laterculo ſeptem omiſſa eſſe obſervavi, *Tittilesheim*, nempe, *Liuthereshuſen*, *Butthesheim*, *Hedenesheim*, *Neccrauviam*, *Buridal* & *Hochuſen*, Freherus correctus.

Gg Con-

Contra Freherus decem nomina catalogo ſuo intulit, quæ exulant ex meo, vel quod ad pagum noſtrum plane non pertinere noveram, vel quod chartæ meæ me nihil de illis docuerunt. Male huc retulit Freherus villam

APHAPALAHA in comitatu Cunradi ducis; quia Conradus hic certiſſime, ut ſuo loco docebitur, comes fuit pagi Rhinenſis, non Lobodunenſis.

LUTENBACH ipſe Freherus pago quoque Rhenenſi rectius, opinor, quam Lobodonenſi adſcripſit; quoniam infra Weinhemium ſitum eſt, borealem pagi Lobodonenſis, uti mox videbimus, limitem.

MILHUSEN Craichgoviæ, *Steinaha* Neckergoviæ vindicabimus. *Hege*, hod. *Haag*, in ſilva Odonia reconditum eſt. *Godenowa* non villa aut vicus, ſed agri villæ Hohenſtatt pars fuit.

DITZENBACH, *Mercklingen*, *Uffhuſen*, *Windenheim* cum Milhuſen Freherus accerſivit ex Rudolphi cujusdam charta fundationis monaſterii Wiſenſtaig in Suevia an. 861 factæ, quam poſt Cruſium (z) ipſe Freherus (a) edidit, ubi loca hæc in *Francia* in pago *Lobetrugauue*, uti Cruſius habet, vel *Lebetungauue*, uti Eccardus (b), commemorantur. Sed & pagus mihi ſuſpectus eſt, & omnis charta, cujus notæ chronologicæ vel corruptionem quandam vel ignorantiam produnt.

§. XIV.

Limes pagi occident.

Limites nunc pagi Lobodun. ſi deſcribendi ſunt, occidentalis procul dubio fuit Rhenus, cujus ripam ſiniſtram a Selſa usque ad Bingam Spirenſis & Wormat. pagi, Lobodunenſi oppoſiti, tenuerunt omnem. Edighemium & Oppavia itaque mutato Rheni alveo

(z) *Annal. Suev.* part. II, lib. II, cap. XI.

(a) *Commentar. de Lupoduno* pag. 25.

(b) *Rer. Franciae Orient.* tom. II, pag. 483.

Digitized by Google

alveo ex Lobodunenſi migrarunt in Wormatienſem, uti in locis his ſupra oſtendimus. Briſacum contra, eadem Rheni varietate, ſiniſtra ex ripa in dextram, vel ex Alſatia in Brisgoviam, translatum fuiſſe, novimus (*c*). Sed & Neccarus ab illo, in quo nunc occupamur, ævo Carolingico oſtia ſua mutavit, ſupra Mannhemium olim prope vicum *Neckerau*, cui hinc nomen, Rheno illatus. Superſunt veteris hujus alvei Neccarini a Seckenhemio ad Neckeroviam usque veſtigia.

Ad orientem montium, ex quibus Neccarus prope Heidelbergam erumpit, catena atque faſtigia, quorum fontes in Rhenum deſcendunt, Lobdengoviam terminarunt. **Orientalis.**

Limitem borealem ad Birckenovam, Winhemium, Virnhemium & Scaram pono, ita quidem, ut loca hæc pagus noſter Lobodun. comprehendat; uti diœceſis Wormat. eadem hodieque complectitur. Pagus enim Lobodunenſis omnis ad diœceſim Wormatienſem, Rhinenſis ad Moguntinam pertinent. Loca iſta cum in confinio duorum pagorum ſita ſint, factum hinc, ut utrique pago, tum Lobodunenſi tum Rhinenſi, paſſim adſcriberentur. In quater mille traditionibus Laurisham. unica eſt, quæ S. Nazarium in pago *Lobotunenſi juxta fluvium Wiſscoz* requieſcere dicit. Reliquæ omnes pagum Renenſem habent. Sed & Henricus IV imp. Loriſſam ad pagum *Lobotengowe* & comitatum Popponis comitis refert in diplomate an. 1065, quo ditiſſimum hoc monaſterium Adelberto, Hamburgenſi vel Bremenſi archiepiſcopo, donavit (*d*). Sunt hi ſcribarum errores haud dubii. Henricus tum in Saxonia agebat, adoleſcens XV annorum. Auctor diplomatis Adelbertus ipſe fuit, homo exterus & rerum geographicarum ad Rhenum multo minus, quam corrumpere & corrumpi, gnarus. **Borealis.**

Gg 2 Cer-

(*c*) *Schoepflini Alſatia illuſtr.* tom. I, pag. 191.

(*d*) *Joannis Mogunt. ſcriptor.* tom. III, pag. 116.

Certiora longe tradit Henricus II imp. qui an. 1002 eccleſiæ Wormat. bannum regium conceſſit in foreſta *Forehahi* a villa *Elmeresbach* juxta Rhenum usque *Heriveldon*, hinc ad *Bibiloz*, ad *Otterestat*, *Bezcingen*, ad plateam montanam, ad *VVinenheim*, ad *Scriezesheim* in *Lobotunaha*, hinc deorſum ad fluvium Neccarum usque ad Rhenum, & per litus Rheni usque ad Elmeresbach. Omnia hæc loca, ait, ab Elmersbach usque ad Winenheim in *Rinergouue* ſita, in comitatu Gerungi comitis; reliqua in *Lobotungouue*, in comitatu Megingozi comitis (*e*). Winhemium itaque pagi Lobodun. ad boream terminus fuit.

Auſtralis. Limitem denique auſtralem Lobdengoviæ quod attinet, figendus ille ſupra Suarzaham amnem, qui Suezzingam & Offtershemium permeat. Unica Einoldi traditio an. XXXIII Karoli regis *Nuzloher marcam* in pago *Creichgowe* collocat. At potiores longe viginti teſtes ſunt uno. Pagum Lobodun. in diœceſi Wormat. contineri univerſum jam ſupra monuimus. Continet Craichgoviam Spirenſis. Nuzlocum autem, imo & alia ſupra Nuzlocum & Wiſslocum loca, Dielhemium, Balzfelda, antiſtitem Wormatienſem hodieque ſuſpiciunt, quamvis ſeculari eccleſiæ Spirenſis dominio ſubjecta.

§. XV.

Comites pagi. Antiquiſſima comitatus pagi Lobodunenſis mentio fit in diplomate, quod ſuperius adduxi, Dagobertino, quo rex Dagobertus res omnes juris ſui in pago Lobedunburg, *excepto ſtipe & comitatu*, eccleſiæ Wormat. donavit. Donationem hanc Carolus M. an. 798, & Ludovicus Germ. an. 858 confirmantes, *ſtipem regiam* & *comitatum* diſertis quoque verbis ſibi ſervarunt (*f*). Manſerunt

(*e*) *Schannat. hiſt. Wormat.* tom. II, pag. 34.

(*f*) Ibidem pag. 1 & 7.

Digitized by Google

ferunt itaque penes regem tributa & jurisdictio, donec Henricus II imp. eccleſiarum patronus ſingularis, Wormatienſi eundem *comitatum in Lobodengouue* cum omnibus ad illum pertinentibus an. 1011 traderet (*g*); quæ tamen traditio aut impedita fuit, ut infra videbimus, aut pagum Lobodun. non omnem comprehendit. Comites hujus pagi jam ipſos ſi requiras, ex vetuſtis monumentis excitavimus ſequentes:

WARINUS. Primus hic ſub Pipino & Carolo regibus pagi Lobodonenſis comes, quem certo novimus, filius fuit Wegenlenzonis, qui villam Hephenheim in pago Rhinenſi cum ſilva ampliſſima in beneficio regio habuit (*h*). Warinus comes tria donationum piarum, in pago Lobodonenſi factarum, inſtrumenta, teſtis ſignavit, an. XII, XIII & XV Pipini regis, id eſt, an. Chr. ſupra ſeptingenteſimum & ſexageſimum ſecundo, tertio & quarto. Prima donatio abbatiæ Fuldenſi facta eſt in villa *Suaboheim* (*i*), ſecunda & tertia monaſterio Laurishamenſi, illa in villa *Hantſcuesheim* (*k*), hæc in *Walahaſtat* villa & in *Hantſcuhesheim.* Prima charta data in *Loboduna civitate*, altera in *Lobodone caſtro*, tertia in *Winnenheim* publice. In poſtrema Warino ſubjungitur ſignum *Cancronis comitis*, qui fuit Rhinenſis. Nobiliſſimi comites, Cancor & Warinus, corpori S. Nazarii, Roma miſſo, usque ad ſaltum Voſegum obviam iviſſe, idque humeris ſuis Laurishamum detuliſſe, narrantur in monaſterii hujus actis (*l*), ex quibus inſuper conſtat, Warinum iſtum, ex præcepto Caroli regis an. XXVII regni ejus, placitum in ſilva, ad Hephenheim pertinente, ut ſilvæ hujus limites deſcriberet, habuiſſe, præſente Ru-

Warinus.

(*g*) Ibidem pag. 38.

(*h*) *Freher. orig. Palat.* part. 1, pag. 48.

(*i*) *Schannat. tradit. Fuld.* num. XXI.

(*k*) *Helwichii antiq. Laurisham.* ſect. II, cap. I, §. VII.

(*l*) Ibidem ſect. I, §. IV.

Digitized by Google

Ruperto, Rhenigoviæ comite (*m*). Inter gentis auguſtæ Salicæ progenitores Warinum hunc comitem refert Crollius (*n*), doctiſſimus hiſtoriæ patriæ ſcriptor, cujus ſententiæ de anno mortis Warini 796 & ego lubens accedo. Warinum quondam comitem ad fiſcum regium tertiam partem manſi & eccleſiam in *Siggenheim*, Lobodengoviæ villa, retroactis temporibus acquiſiviſſe, Ludovicus Pius aſſerit in literis, quibus eandem rem S. Nazario donavit an. x imperii ſui. Warini filius fuit, qui ſequitur, Wittegowo comes, & Gerhohus clericus. In traditione Zeizonis & Helmsuuindis, conjugis ejus, in pago Rinenſi in Phungeſtat facta an. xxxvi Karoli M. comparet ad finem: *ſignum Gerhohi clerici filii Warini comitis.*

Wittegowo. WITTEGOWO. In traditione rerum in Locheim, pagi Rhinenſis villa, a Bernhero quodam facta an. xxxi Karoli regis (799) legitur *ſignum VVidegowi filii VVarini comitis.* Ipſe *VVittegowo comes* primum manſum in Hepphenheim cum vinea & 30 jurnal. an. xxxvii Karoli M. dein hobam unam in *Ebbelenheim*, pagi Lobodunenſis vico, eidem abbatiæ Laurisham. tradidit an. iv Ludewici imp. id eſt, an. 817. In fine ſcribitur: actum in monaſterio Lauresham xv kal. Novembr. *ſignum VVittegowonis comitis, qui hanc donationem fecit & firmari rogavit.* Eccleſiam in *Siggenheim*, quam Warinus pater fiſco regio acquiſiverat, *VVidegowo comes* per beneficium largitionis imperialis habuit, quum Ludovicus Pius an. 823 Laurishamenſibus eam conferret.

Wernharius. WERNHARIUS. Illuſtris comes dicitur in chronico Laurishamenſi. Ludovicus Germ. ei res proprietatis ſuæ in pago Renenſe, in villis Bibifloz, Wadtinheim & Zuleſtein donavit an. 843, trienniоque poſt Werinharius easdem res abbatiæ Laurisham. dedit, ea lege, ut cum villa *VVinenheim* & cella *Birckenowa* ſibi in precariam redderentur. *Venerandum comitem VVeren-*

(*m*) *Freherus* l. c. pag. 49.
(*n*) *Orig. Bipont.* part. i, cap. iii, §. 3 & 4.

renharium in charta ſua præſtariæ appellat Samuel epiſcopus & abbas. Ex his Rhenigoviæ comitem Wernharium facile quis conſtitueret, niſi Lobdengoviæ illum præfuiſſe, aliunde pateret. Nam Ludovicus Germ. de rebus proprietatis ſuæ in pago *Lobodengowe*, in *comitatu VVernharii*, in villa, quæ dicitur *VValeſtat*, areas duas &c. monaſterio Laurisham. per concambium tradidit anno regni ſui in orientali Francia XXVI, in occidentali I, id eſt, an. Chr. 869. Octennio poſt Ludovici hujus filius, Ludovicus, *venerabili comiti VVerinhario* res proprietatis ſuæ, h. e. manſos tres in villa *VVinenheim*, quos Tuto habuerat in beneficium, cum mancipiis, caſis &c. ut pro remedio patris & conjugis ſuæ Liutgardæ S. Nazario offerantur, conceſſit. Non negarem, quod Crollius (*o*) ſtatuit, Werinharium hunc Warini ſuperioris nepotem, & in monaſterio Laurisham. ſepultum fuiſſe. At eundem Wernharium a Ludovico Germ. an. 865 honoribus privatum, decennioque poſt a filio ejus Ludovico juniore, reſtitutum eſſe, quod idem Crollius, nomine Werinharii ſeductus, docet, convellere omnino videntur ea, quæ de Wernhario noſtro comite retulimus.

LIUTHERIUS. Arnolfus rex Sigebaldo cuidam fideli in pago *Lobodengouue* in *comitatu Liutherii* infra terminum duarum villarum, *Otincheim* & *Hophouua* nominatarum, ſex hubas &c. quas in beneficium habuerat, an. 888 in proprietatem conceſſit. Ejusdem comitis ſupra in Mannenhemio facta eſt mentio. Pertinent ſine dubio ad eum, antequam comes factus eſſet, quæ ſub finem §. XII de Liuthario quodam retulimus. **Liutherius.**

LIUTFRIDUS. Anno 898 menſe Oct. Arnolfus imp. cuidam vaſallo ſuo Reginbodoni in pago *Lobotengouue*, in *comitatu Liutfridi*, in villa *Virninheim* hubas decem, cum familiis, mancipiis &c. in proprietatem reliquit. Biennio poſt ſimilis beneficii **Liutfridus.**

com-

(*o*) Ibidem pag. 108.

Digitized by Google

compos factus eſt Sigolfus, Laureſham. cœnobita, in pago *Lobotingouue* in *comitatu Liutfridi*, in locis *Sunthove* & *Scarra*, dono Ludovici regis, Arnolfi imp. filii. Reginbodo, vir ingenuus, curtem indominicatam, ex beneficio regio in proprietatem converſam, ſitam in *pago Lobodenenſe*, in *comitatu Liutfridi comitis*, nuncupatam *Virnunheim*, cum mancipiis & ſilvis abbatiæ Laureſham. per concambium tradidit menſe Jan. an. 902. In fine *ſignum Liutfridi comitis.* Sed & Cunradus rex, Ludovici regis ſucceſſor, x kal. Sept. an. 912 ſex hobas ſerviles in marca & villa *Hantſcuhesheim* in pago *Lobotungouue*, in *comitatu Liutfridi comitis* ad ſanctum locum Aberinesburg pertinere voluit. Actum ad Triburiam palatio regio (*p*). Per Liutfridum hunc comitem ſuum Conradus rex marcam & ſilvam, ad Virnunheim pertinentes, limitibus juſſit diſtingui (*q*).

Cunradus. CUNRADUS. Otto M. in concambio quodam bonorum an. 948 a Liuthero clerico prædia accepit in pago *Lobotengouue*, in *comitatu Cunradi comitis*, in villis *Suuabenheim*, *Eppilenheim* & *Graninesheim.* Geroldus quidam & uxor ejus Idiburga de bonis ſuis in *Vitenheim* & *Hedenesheim* ita convenerant, ut poſt ſuum & filii, ſi quem habuerint, obitum Vitenheim eccleſiæ S. Petri ad Wormatiam eſſet, Hedenesheim vero monachorum in Laureſham. Mortuo Grimoldo advocati utriusque eccleſiæ rem hanc firmarunt per teſtes in publico mallo apud *Lobeddenburg* in *Cunradi comitis*, Rihgowonis epiſcopi Worm. & Ebergiſi abbatis Laurish. præſentia. Idem horum ſucceſſores fecere, Anno epiſcopus & Gerbodo abbas, circa an. 950. Actum in *comitatu Cunradi comitis* in pago *Lobodengouue*, præſentibus viginti ſcabinis (*r*). Anno 951 Otto

(*p*) *Helvic.* l. c. cap. XIII, & *Freher. orig. Palat.* in append. pag. 35.

(*q*) *Freher.* l. c. part, I, pag. 52.

(*r*) *Helwich.* l. c. cap. XIV.

Digitized by Google

Otto M. telonii in caſtello *Lobodunburg*, in pago *Lobodungouue*, in *comitatu Cuonradi* tertiam partem eidem eccleſiæ Wormat. donavit (*s*). Anno 954 Adalhochus rem proprietatis ſuæ in pago *Lobodonenſe* in *comitatu Cunradi*, in loco nuncupato *Scarra*, a monaſterio Lauresh. in beneficium recepit. Eidem cœnobio Otto imperator in villa *Wezinloch*, in *comitatu Cunradi comitis*, mercatum publicum ad ſervitium S. Michaelis in Abramesberg an. 965 fieri permiſit (*t*). Anno ſequenti Adalradis rem ſuam in pago Lobodonenſi, in *praeſidatu Cunradi comitis*, in villa vel marcha *Niuwenheim* ei tradidit. Crollius (*u*) Conradum hunc, Lobodun. pagi comitem, & Conradum, Lothariugiæ ducem, qui an. 955 occubuit, unum fuiſſe hominem ſtatuit. Res hujus ævi genealogicæ quam ſunt fallaces?

MEGINGAUDUS. Otto III, Germaniæ rex, jus inſtituendi mercatus in villa *Wezinloch*, in *comitatu Megingaudi filii Cunonis comitis* abbatiæ Laurisham. confirmavit. Actum Ingilenheim menſe Januar. an. 987. Cuno & Cunradus cum idem ſit nomen, Megingaudum ſuperioris Cunradi comitis filium fuiſſe non dubitamus. Biennio poſt menſe ſept. femina quædam Geriniu duas partes baſilicæ, hubas dominicales quatuor, ſerviles octo &c. in pago *Lobodinenſe*, in comitatu *Megingaudi*, in *Sahſſenheimero* marca iisdem monachis præſente Ottone rege tradidit. *Comitatum Megingozi comitis* in *Lobotungouue* & villam *Scriezesheim*, in eo ſitam, commemorat Henricus II imp. in diplomate eccleſiæ Wormat. an. 1002 (*x*). Megingaudus

Hh BOP-

(*s*) *Schannat hiſt. Wormat.* t. II, pag. 19.

(*t*) *Freher* part. I, append. p. 35. *Helwich* l. c. cap. XVI, & *Tolner* cod. dipl. Palat. p. 13.

(*u*) *Orig. Bipont.* part. I, pag. 113.

(*x*) *Schannat* l. c. pag. 34.

Digitized by Google

Boppo. BOPPO. Anno 1012 Henricus II imp. Bopponem, pagi *Lobedungouue* comitem, cum ſcabinis judicem cauſæ inter epiſcopum Worm. & abbatiam Laurisham in hoc pago decidendæ conſtituit (*y*), poſtquam comitatum Lobodunenſem, uti §. XV dictum, eidem conceſſiſſet epiſcopo; unde Cæſaris in hoc pago jurisdictionem per comites nondum deſiiſſe, manifeſtum eſt, imo eam Salica ſub imperatorum ſtirpe continuatam eſſe, ex ſequenti comite, Bopponis filio, addiſcimus.

Heinricus. HEINRICUS. Idem cæſar monaſterii S. Mich. in monte S. Abrahæ, in pago *Lobetengouue*, in *comitatu* vero *Heinrici comitis* ſiti, varias poſſeſſiones & immunitatem an. 1023 menſe Dec. confirmavit. Actum in Triburia regia villa (*z*). Triennio poſt Conradus II imp. epiſcopatus Wormat. bona & jura confirmans, *duos comitatus* nominat in *Lobedungaw* & *Wingartebun*, ab Henrico II ei traditos, nec non beneficium *Bopponis comitis* ad villam *Aasmaresheim* (*a*). At an. 1067, regni ſui XI, Henricus IV rex monaſterio S. Nazarii jus mercatus publici in villa *Wezenloch*, in *comitatu Heinrici filii Bobbonis comitis* ſita, firmavit. Ultra quadraginta igitur annos Heinricus hic pago Lobodon. judex præfuit, poſt patrem.


PAGI

(*y*) Ibid. l. c. pag. 39 ſq.

(*z*) *Freheri orig. Palat.* P. I, append. pag. 36. *Helwich antiqq. Laurish.* cap. XXII.

(*a*) *Schannat* l. c. pag. 50.

Digitized by Google



Par F. Denis Ing. Lieutenant 1706.

Digitized by Google

Digitized by Google

PAGI WORMATIENSIS,

Qualis ſub Carolingis maxime regibus fuit, Deſcriptio.

Auctor

ANDREAS LAMEJUS.

§. I.

Dignitas pagi & nomen.

Pagis regni Franciæ orientalis illuſtrioribus accenſendus eſt Wormatienſis, Spirenſem inter & Navenſem late extenſus; oppidis, caſtellis, palatiis, vicis & villis quam maxime dives, qui propter præſtantiam ſuam *gau*, *gaugia*, *gowia*, id eſt, pagus, ſimpliciter absque alio epitheto, etiamnum dicitur. Singularis eſt Richolfi, comitis Rhingauviæ, nomenclatura, *Algesheim in pago Gaugia* reponens an. 1109 (*b*). Wernherus archiepiſcopus Mogunt. bona capituli ſui in *ſuperiori* & *inferiori Olmene*, aliisque villis *Gowie*, ab oneribus quibuscunque, ſibi præſtandis, libera reddidit an. 1268 (*c*). Sunt quædam hujus pagi loca, e. g. *Gau-Biſchoffsheim*, *Gau-Böckelheim*, quæ præmiſſa vocula *Gau* ab aliis ejusdem nominis vicis, alibi ſitis, diſtingui ſolent. Portam Stephani Moguntiæ, Rhenanæ oppoſitam, *Gaupfort* appellant.

Celticum *Borbetomagus*, uti Ptolemæus, vel *Borgetomagus*, uti tabula Theodoſ. habet, primariæ Vangionum urbis nomen, Alemanni & Franci, rerum in Gallia ſec. v potiti, pronuntiarunt *VVormaz*, & pagum ejus *VVormazfeld*, *VVormazgouue*. Galli *VVarmatiam*, Itali *Guarmatiam*, *Guormatiam* dixere. Brevius *VVormacenſe*, *VVormacinſe* & *VVarmacenſe*, omiſſa *pagus* voce, paſſim legitur.

(*b*) *Gudeni cod. diplom. Mogunt.* tom. I, pag. 40.

(*c*) Ibid. pag. 726.

Geographicum locorum pagi hujus ordinem quum codex noſter Laurisham. neglexerit, nos de eo reſtituendo ita ſoliciti erimus, ut fluvios, rivos & montes ſequamur, a meridie ad boream & a Rheno ad Vogeſum progreſſuri aut Navam.

§. II.

Loca ſupra Franckendalium.

Primum itaque ad meridiem, ſupra Franckendalium, Wormazgoviæ, ubi finitima eſt Spirigoviæ, accenſentur

MUNDINHEIM. Grahildis & filia ejus Hemhildis in pago *Worm.* in *Mundinheim* duos jurnales abbatiæ Laurishamenſi dono contulerunt an. XV Karoli regis. *Muntinheim* vide mox in Friſenheim.

HEMMINGESHEIM. Gundelando abbati Laurish. Rubertus quidam in *Hemmingesheim marca* in pago *Wormat.* pratum, & in Fridolfisheim marca jurnales quinque, & in Wizenheim vineam vendidit anno ſeptimo Karoli regis. Alibi *Hamingesheim* dicitur, nunc *Hemshof*, villa ex vico ſuperſtes.

FRISENHEIM. In pago *Wormat.* in *Friſenheim marca*, & in Wizzinheim, & in Eberulfesheim, & in *Muntinheim*, & in *Hamingesheim*, & in Karlebach ſua omnia dedit Hita Deo ſacrata anno ſecundo Karoli M. imp.

AGRIDESHEIM. Waningus & uxor ejus Winisuindis anno XII Pipini; Reginherus & uxor ejus Thota anno primo Karoli regis manſos, jurnales & prata in pago *Wormat.* in *Agridesheim marca* Laurishamenſibus obtulerunt. Alibi *Agrisheim* & ſec. XIV *Agersheim* ſcribebatur, nunc *Ogersheim*, corruptius *Obersheim.*

EBENSTEIN, hod. *Epſtein.* Ratbaldus in pago *Wormacinſi* in *villa Ebenſtein* ſex jurnales tradidit anno VII Karoli regis. Alibi *Ebiſtein*, *Ebinſtein* & *Appinſtein* dicitur. Gislildis ſub die III kalendas Aprilis anno I Karoli M. tertiam partem jurnalis in pago Wormat. in Appinheim marca S. Nazario contulit.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Inter rivum Durckheimenſem, qui Franckendalium perluit, & Carlobacum, qui ex valle Leiningenſi deſcendit in Rhenum ſupra Wormatiam: Inter rivum Durckheim & Carlobac.

Babinheim, hod. *Bobenheim.* Anno primo Karoli regis Giſelbertus jurnales v in pago *Wormat.* in *Babinheimer marca ſuper fluvio Rodenbach* & jurnales ii in Merſtater marca S. Nazario donavit.

Roccheshеim, hod. *Roxheim.* Arnolfus rex in *comitatu Wormat.* in *Roccheshеimero marca* res proprietatis ſuæ & inſulam *Sigenwart* eidem S. Nazario contulit (*d*).

Merische in pago *Wormat.* anno primo Karoli, & pratum in *Meriſche ſuper Renum fluvium* anno tertio, proditur; *Meriskero* marca cum Lantmundisheim, & *Marisga* cum Franckendale, hod. *Mörſch.*

Franckendale. Rem ſuam in pago *Wormacia*, in *Franckendale* & in *Meriſche*, Hunargus an. iv Karoli regis; decennioque poſt Audo tradiderunt. Eccleſiam in pago Wormac. in *villa Franconadal* Birniho presbyter monaſterio Weiſſenburg. dedit, ut in eodem pago in villa *Marisga* prædium acciperet (*e*).

Agmarsheim. Regnante Pipino Gerhardus in pago *Wormat.* in *Agmarsheim marca* vineam unam & an. xv Karoli regis Engiltrudis vineas duas Laurisham. cœnobio donarunt. Innocentius ii papa eccleſiam in loco *Omerſcheim*, in honore ſanctorum omn. conſecratam, in qua religioſæ mulieres domino ſerviebant, monaſterio Franckenthalenſi an. 1134 confirmavit (*f*). Oratorium in *Ormsheim* juxta Franckenthal eccleſiæ parochiali in Flamers-

Hh 3

(*d*) *Helwichii antiq. Laurish.* in *ſcript. rer. Mogunt.* tom. iii, pag. 33.

(*e*) *Breviar. rer. fiſc. Caroli M.* ap. *Eccard. Franc. orient.* t. ii, pag. 907.

(*f*) *Schannat. hiſt. Worm.* tom. ii. pag. 67.

merſheim ſec. XV ſubdita fuit (*g*). Agmarsheim in Omersheim & hoc in Ormsheim ſucceſſu temporis mutatum, nunc a ſeptem, qui ibi habitant, ruſticis *ſieben Bauern* vulgo dicitur.

BENTRITESHEIM villa pagi Wormat. hod. *Beintersheim*, in litteris, quibus abbas Laurish. & Gunzo presbyter bona quædam inter ſe permutarunt, an. XV Ludowici Germ. regis legitur.

HEISINISHEIM in traditione Friculſi & Gomodrudis anno XVI Pipini regis, frequentius *Heſſenheim*. Liuthardus & Meinhardus bona Gerhardi in villa Heſſenheim, excepta baſilica & mancipio; Heimbertus & conjux ejus Hatta in pago Wormat. in Heſſenheim anno XI Karoli regis; Nantgerus in eadem villa, in Lantmundesheim & in Meriskero marca rem ſuam omnem anno 847, regni Ludovici VII, S. Nazario contulerunt.

FLAMMERSHEIM, hod. *Flomersheim*, villa pagi Wormat. ubi Grodegangus, epiſcopus Metenſis, eccleſiam S. Gorgonii & curtem indominicatam cum caſa & aliis ædificiis, mancipiisque Gorzienſi apud Lotharingos monaſterio donavit an. 765 (*h*).

LAMMUNDISHEIM, hod. *Lamsheim*. Gerolfus & Liutsuind conjuges jurnales VI anno I, Dagabrecht pro anima genitoris ſui Wileberti jurnales III an. XXII Karoli in pago Wormat. in *Lammundisheim marca* donarunt. *Lantmundesheim* cum Heſſenheim & Meriskero marca in pago Wormat. poni an. 847, modo vidimus.

WIZZENHEIM. Regnante Carolo M. Laurishamenſes plura dono acceperunt in villis Friſenheim, *Wizzinheim*, Eberulfisheim; nec non in Hemmingesheim, Fridolfisheim & in *VVizenheim*, quæ pago Wormat. accenſentur omnes. Sunt duo hujus nominis vici, quorum alter in arena (*auf den ſand*), alter ad montem (*am berg*) diſcriminis cauſa cognominatur; at media æta-

(*g*) Ibid. tom. I, pag. 20.

(*h*) *Meuriſſe hiſt. des Eveques de Metz* pag. 169, & *Calmet hiſt. de Lorraine* tom. II, probat. col. 506.

Digitized by Google

ætate *Weiſſenheim* & *Weiſsheim* ſcribebatur. Uterque capitulo rurali Freinshemiano adſcriptus eſt (*i*).

Freinsheim. Ratbald duos jurnales de terra in pago Wormat. in Freinsheim, & in Wichſe tres jurnales donavit.

Erpholfesheim hod. *Erpolsheim.* Vineam in pago Wormat. in Erpholfesheim marca Hermenfridus an. xiv Karoli regis, & octennio poſt Gerolfus pratum in eadem marca, tradiderunt.

Unkenstein. Hartwic presbyter monaſterio Weiſſenburg. dedit in pago Wormacinſe medietatem eccleſiæ in villa Heſſiheim, accipiens viciſſim eccleſiam in Unkenſtein (*k*).

Cagelenstat cum Freinesheim in pago Spir. collocat notitia quædam bonorum monaſterii Laurish. auctoris & anni incerti; rectius in pago Wormat. collocatur. Errores alios longe craſſiores eadem notitia habet. Dicunt hodie *Calſtatt.*

Dakenheim. Manſos tres, eccleſiæ S. Saturnini prope Dreiſam a Nanthario duce ſeculo ix in villa Dakenheim collatos, Conradus imp. an. 1144 confirmavit.

Carlobach. Fridehelmus vineam in pago Wormat. in *Carlobach marca* an. xii Pippini, & Sigismundus vineolam tenentem duos ſcamellos ibidem an. iii Caroli regis; Meginbirga autem manſum indominicatum cum ædificiis veſtitum, ad quem pertinebant jurnales xxxvii, & duos manſos ſerviles an. 946, Laurishamenſibus donarunt. Sunt duo vici *Karlebach* ſive Karbach, major & minor, ille Palatini juris, hic Leiningenſis. Minor in literis inveſtituræ Murbac. Godefrido comiti Leining. et advocato Alſatiæ provinciali an. 1309 conceſſæ, *Karlebach ſuperius* dicitur (*l*).

Biz-

(*i*) Vid. *Schannat. hiſt. Wormat* tom. i, pag. 58.

(*k*) *Breviar. rer. fiſc. Caroli M.* ap. *Eccard. Franc. orient.* tom. ii, p. 907.

(*l*) In ſcripto Leining. *Schlieſsliche Einreden* pag. 96.

Digitized by Google

BIZZRIHESHEIM, hod. *Biſſersheim.* Nantharius dux monaſterio S. Saturnini ſeculo IX dedit, quidquid ipſe et uxor ejus in villa Bizzrîhesheim poſſederant, teſte eodem Conradi imp. diplomate.

CIRICHEIM. Reginherus et Adela conjuges rem ſuam in pago Wormat. in Ciricheim et in Carlobach anno Karoli regis ſecundo, et quinquennio poſt Racherus in *Kyrcheim* marca ejusd. pagi manſum unum Laurishamenſibus donarunt. Vicus hic Leiningenſis, cognomine *an der Eck*, diſtinguendus a Kirchhemio Polandiæ, ditionis Naſſovio-Weilburgicæ oppidulo.

VETTEMBERG, hod. *Battenberg.* Ludovicus Pius cum curte Grundſtat eccleſias duas in Merteinsheim et Vettemberg Glanderienſi ſeu Longavillano apud Lotharingos monaſterio an. 836 confirmavit (*m*). Eccleſiam in *Bettemberg* monaſterium hoc majoris capituli Wormat. decano vendidit an. 1231 (*n*).

§. IV.

Inter Carlob. & Iſinam.

Inter Carlobacum et Iſinam rivos a Rheno usque ad Vogeſum:

LIUTRESHEIM. Waninchus an. XXII Karoli regis in pago Wormat. in Liutresheim vineam et in Babenheimer marca quatuor jurnales terræ aratoriæ tradidit. Interiit vicus *Littersheim* paulo infra Bobenhemium.

WIGINESHEIM. Arnolfus imp. Wormatîenſi eccleſiæ dedit, quidquid in villis Oppenheim, Horagaheim et in *Uuigineshein* habuit an. 897 (*o*). Nunc W*einsheim.*

OPPEN-

(*m*) *Calmet hiſt. de Lorraine* tom. II, probat. col. 128.

(*n*) *Schannat. hiſt. Wormat.* tom. I, pag. 10.

(*o*) *Schannat. hiſt. Wormat.* tom. II, pag. 11.

Digitized by Google

OPPENHEIM villam, hod. *Wiſoppenheim*, diſtinguendam ab Oppenhemio ejusdem pagi oppido, cum Horagaheim, & Uuiginesheim, locis proximis, commemorari modo audivimus.

HUCHILHEIM in pago Wormacinſe habet traditio Folradi an. XV Pippini regis. *Hughilheim* cum Uminesheim & Gumersheim triennio poſt comparet. Hod. *Heuchelheim*.

LIUMARSHEIM, hod. *Laumersheim*. Anno primo Karoli Albulfus tertiam partem manſi & aliorum bonorum dedit in pago *Wormat.* in *Liumarsheim marca*; an. XXIII ibidem facta eſt duorum manſorum permutatio inter Eolfum quendam & abbatiam Lauriſham.

GERNISHEIM, vicus deſtructus, de quo ſupra (*p*). Helitghiſus & Bilitrudis rem ſuam in pago *Wormat.* in Suſenheim marca & in *Gernisheim* S. Nazario tradiderunt an. XI Karoli regis.

AOLFESHEIM, hod. *Albsheim* ad Iſinam, diſtinquendum ab Albshemio ad Primmam, de quo infra. Rotbertus quidam in pago Worm. in *Aolfesheim marca*, quidquid poſſedit, pro duabus libris argenti vendidit an. XX Caroli regis.

AZZULUNHEIM, hod. *Aſſelnheim*. Vineis in pago Wormat. in *Azzulunheim marca* Hilwini, Reginfridi & Berwardi liberalitas S. Nazarium locupletavit ſub Pippino & Karolo regibus.

GRUNDSTAT. Ludovicus Pius imp. *curtem Grundſtat* cum eccleſia & dote ejus an. 836 (*q*), Ludovicus Germ. Metis agens *villam Grinſtad in Warmacenſe* cum omni integritate anno regni ſui in orientali Francia XXXVIII (*r*) Glanderienſi monaſterio reddiderunt, quod jura ſua univerſa in comites Leininga-Weſterburg. an. 1735 tranſtulit (*s*).

Ii Su-

(*p*) Pag. 37.

(*q*) *Calmet hiſt. de Lorr.* t. II, prob. col. 128.

(*r*) Ibid. col. 143, & *Mabillon. annal. Bened.* tom. III, pag. 619.

(*s*) Inſtrum. in ſcripto Leining. *Schlieſsliche Einreden*, pag. 77.

Digitized by Google

Susenheim, hod. *Sauſenheim.* Laurentius germani ſui Salencii opes univerſas in pago Wormat. in *Suſenheim marca* an. xi, Baldherus duos manſos terræ aratoriæ ibidem an. xii Karoli regis tradiderunt.

Linunga, hod. *Leiningen.* Amicho in pago Worm. in *Linunga marca* ſylvam ſuam cum terra ſylvæ S. Nazario contulit, an. xii Caroli regis. Obvium in illuſtr. gente Leiningenſi nomen Amicho ſive Emicho.

Vadenheim, hod. *VVattenheim.* Badericus in pago Worm. manſum unum & dimidium in Frimersheim, vineam in Ominsheim & Vadenheimer marca ſeptem jurnales cum vinea tradiderunt an. xxxv Karoli regis.

Isinburc, hod. *Eiſenberg.* In pagi Wormat. villa Iſinburc eccleſiam S. Gorgonii cum omni totius parochiæ decimatione, quarta parte ſilvæ *Stamp* &c. Grodegangus epiſcopus Met. abbatiæ Gorzienſi dedit. Ex ſilva iſta avena Paternivillam portabatur angariis (*t*). Laurishamenſes manſum & xxiv jurnales in villa vel marca *Iſanburc* cum aliis in Buxlare & Quirnheim prædiis commutarunt an. xv Ludovici regis.

Eberolfesheim, hod. *Ebersheim.* Anno xiii Pipini regis Sigismundus quidam omnia ſua in pago Worm. in *Eberolfesheimer marca* triennioque poſt Herpherus manſum & jurnales octo ibidem Laurishamenſibus donarunt. In traditione Herminswindis an. xxii Karoli M. ſcribitur *Eberulfesheim.*

Merteinsheim, hod. *Merteshеim*, vide ſupra in fine §. iii *Vettemberg.*

§. V.

Inter Iſinam & Primmam. Inter Iſinam & Primmam fluviolos, præter Wormatiam urbem, de qua ſuperius, vici & villæ comparent ſequentes:

Hor-

(*t*) *Calmet hiſt. de Lorraine* tom. ii, probat. col. 506.

Digitized by Google

Horgiheim, hod. *Horchheim.* Nitherus manſum in *Horgiheim ſuper fluvium Iſina*, ubi molendium extruxerat, cum petia prati abbatiæ Laurishamenſi dedit an. xiv regis Pippini. Ludovicus Pius Adalberto cuidam in pago Wormac. in *Haragaheim* manſum dominicatum & alios quinque manſos, quos in beneficium tenuerat, jure proprio poſſidendos conceſſit anno imperii ſui xxi (*u*).

Heppenheim. Witherius & Lantfridus manſum cum caſa & ſcuria in pago Worm. in *Heppenheim* an. xv Pippini regis Laurishamenſi, Biligardis in pago *Wormazfeldun* in *villa Heppenheim* terram araturiam, prata & vineas an. xxvii Caroli regis Fuldenſi monaſterio (*x*) tradiderunt. Intelligitur hic Heppenhemium in prato, vulgo *auf der Wieſe*, diſtinguendum ab alio Heppenhemio, de quo infra.

Offenstein. Hadalbaldus rem ſuam in pago Wormat. in *Offenſtein marca*, id eſt, jurnales vi de terra & de prato ad carradas tres, & quidquid in ipſa marca laboratum habebat, & in antea laborare ſeu lucrare potuerit, an. x Karoli donavit. Bona in eodem loco ſita Angilramnus, epiſcopus Met. ratione monaſterii S. Martini in Buxbrunno, & Gundelandus abbas Laurish. permutarunt.

Landrisheim inter & *Offenſtain* in pago Wormat. Odolfridus molendinum & x jurnales tradidit an. iii Karoli regis: manſum & xv jurnales in *Lendrichesheim* ejusd. pagi Willisuindis an. xxxiii Karoli. Eccleſiam *Lidrichesheim* ex actis ſeculi xiii Schannatus prodit, ubinam fuerit, ignarus. Prope Offſtein viculus periit, vulgo *Lindesheim.*

Mulinheim in pago Wormat. an. xv Pippini & ſecundo Karoli regis; nec non an. xii Ludovici imp. hod. *Mühlheim.*

Ii 2 Buc-

(*u*) *Joannis ſpicileg. tabular. vet.* pag. 441.

(*x*) *Schannat. trad. Fuld.* n. 109.

Digitized by Google

Bucchenheim. Munihildis vidua in pago Worm. in Offenſtein manſum & in *Bucchenheim marca* vineam an. v Karoli, eodemque anno Amanoldus curtim in Spirenſi pago in Mudach, & in Wormat. in *Buckenheimer* marca vineam aliam dederunt. In Herigiſi & Wenidonis traditione *Bodalgiſes marca in Buckenheimer marca* legitur. Alibi *Buggenheim* ſcribitur, hod. *Bockenheim*, duplex vicus, major & minor.

Munulfesheim, hod. *Monsheim*, villa pagi Wormat. an. xv Pippini regis in traditione Waltmani. Gozelmus vineam in pago Wormat. in *Munnesheim* marca in loco nuncupato *Maſanza*; Erlolfus manſum, xxx jurnales, quatuor peciolas de vinea & mancipia quinque in eadem marca ſub Carolo rege. Freherus *Munnesheim* a *Munulphesheim* locum diverſum eſſe credidit.

Wacchanheim, *Wacchenheim Waccanheim*, *Wackeheim*, ubi inter alia mancipia ſex, curtem & manſum cum caſis atque ædificiis an. xiv Karoli regis Laurishamenſes dono acceperunt. Anno ſequenti Bernher & Adalhart in pago Wormat. in Dagolfesheim marca & in Flaridesheim, & in Aresheim & in *Wackenheim* dimidietatem omnium, quæ habuerunt, iisdem monachis tradiderunt.

Arasheim. Teutgerus in pago Wormacinſe in *Arasheim* & *Niwarheim* jurnales vii an. ii Karoli; quadriennio poſt Waniino rem ſuam in pago Worm. in *Harasheim marca*, Bebo vineam in *Araesheim* eodem rege S. Nazario conſecrarunt. Fuldenſes vineas & terras in *Harahesheimo* in pago Wormac. dono acceperunt an. xlv ejusdem regis (y). Sub Ludovico Pio imp. Adalbertus & Bernrich manſum unum & ſedecim jurnales in *Haraunesheim marca* Laurishamenſibus obtulerunt. Eccleſiam *Harewescheim* cum decimatione & molendino Albertus Hornbac. abbas novæ præpoſituræ ſuæ *Cella* conceſſerat, teſte Moguntino archiepiſcopo an.

(y) *Schannat trad. Fuld.* n. 246.

Digitized by Google

an. 1135 (*z*). Dicitur nunc *Harſheim* & *Harxheim*, vicus ad Primmam.

BUBINHEIM cum Dinenheim commemoratur in traditione Laurish. an. XV Pipini regis. Hillinus archiep. Trevir. *Bubenheim*, quod eſt in pago *Uuormacienſe*, cum eccleſia, decimis & hominibus abbatiæ Arnſteinenſi confirmavit (*a*).

AUTMARESHEIM, *Othmaresheim*, *Otresheim*, *Otersheim* & *Autersheim*, villam & marcam pagi Wormat. complures traditionum Laurish. chartæ produnt.

IMMINISHEIM, hod. *Imsheim*, in eodem pago collocat traditio Willesuuindis anno quarto, & Rocberti an. XI Karoli regis.

ROSSUNGA & *Roſſunger marca* in pluribus Laurishami inſtrumentis comparet Carolo rege, ſemel *Roſſinlunger marca* cum Dagolfesheim an. V ejusdem regis. Hod. *Ruſſingen*.

BOSINESHEIM, hod. *Ruben-Budesheim*, in pago Worm. cum Carlobach, in traditione Hucberti an. XIV Karoli regis, & novennio poſt *Buoſinesheim* cum Guntheim, Dagolfesheim, Mumenheim &c. in tradit. Erlulfi. Eccleſiam *Buſenesheim* cum decimatione & teloneo in *Cella* Erneſtum abbatem Hornbac. præpoſituræ Cellenſi donaſſe, Adalbertus Mogunt. archiep. teſtatur an. 1135 (*b*).

QUIRNHEIM. Iſinarius eccleſiam hujus loci, in honorem SS. Mariæ & Martini conſtructam, cum curte, vineis, terris & pratis Laurishamenſibus obtulit anno III Karoli regis.

BUXLARE cum Babenheim, Eberulfesheim & Gozinhesheim an. XXII Karoli M. in pago Wormat. collocatur. An. XV Ludowici regis Heregiſus commutatione quadam bonorum Laurishamen-

(*z*) *Crollii orig. Bipont.* part. 1, pag. 125.

(*a*) *Hontheim. hiſt. Trevir.* tom. 1, num. 395.

(*b*) *Croll.* l. c. ubi *Biſſesheim* hodie locum hunc appellari notatur; error.

Digitized by Google

kamenſi monaſterio dedit in pago Wormat. & in *villa Buxlare* manſum unum, & *inter Buxlare marcam & Quirnheimero* de terra arabili jurnales XXVI. Traditio Fuldenſis, in Wangiona civitate ſub Pipino rege facta, habet *Buchrolare* in pago Wormacinſe (*c*), ubi legendum haud dubie *Buchſolare.* Eſt villa juris Leining. vulgo *Buſchweiler.*

RODENBACH. Bernhardus XII jurnales & manſum in pago Worm. *inter Rodenbach & inter Quirnheim* marcam an. IX Karoli regis. In traditione Hordolfi an. II Ludowici imp. *Rodunbach.*

LIUTMARSHEIM, hod. *Lautersheim.* Wibertus in pago Worm. in *Liutmarsheim marca* vineam, & pratum in Rodenbach an. II Karoli, alii alia in *Lutmarsheim* eodem Carolo regnante tradiderunt. Freherus nomen hoc cum *Liumarsheim*, de quo ſupra (*d*), miſcuit.

GYLNHEIM marcha in pago Wormacenſe diploma Hornbacenſe Ludovici imp. Ingelnhemii datum habet an. 819 (*e*). Idem cæſar donationem Wiligartæ, Hornbacenſi monaſterio factam, an. 828 in *Gylnheim* confirmavit; unde locum hunc villam regiam fuiſſe colligimus. Scribitur jam *Gellheim*, oppidulum cladis Adolfi cæſ. memoria inclytum

ELMUTESHEIM, hod. *Elbisheim*, villa, ubi Nantharius dux circa an. 872 monaſterio S. Saturnini manſos dedit duos.

DREISA hod. *Dreſen.* Manſos XVIII cum ædificiis & utriusque ſexus mancipiis in villa Dreiſa monaſterio S. Saturnini Nantharius dux ſeculo IX tradidit. In villa vel marca *Treiſa* pagi Worm. Erinfridus comes monaſterio S. Cyriaci in Nuhuſa curiam dominicalem dedit an. 891 (*f*).

§. VI.

(*c*) *Schannat corp. tradit. Fuld.* num. 26.

(*d*) §. IV, pag. 249.

(*e*) *Croll. orig. Bip.* part. I, pag. 95.

(*f*) *Schannat. hiſt. Worm.* t. II, p. 10.

Digitized by Google

§. VI.

Inter Primmam & Seebacum, quæ per Oſthovam fertur in Rhenum. Inter Primm. & Seebach.

NUHUSA & *Niuhuſa*, monaſterium S. Cyriaci prope Wormatiam, in chartis ſeculi noni celebratur (*g*).

HARLESHEIM in charta Laurisham. an. III Karoli regis. Seculo XV *Herlesheim* ſcribebatur, nunc *Hernsheim* (*h*).

DURINCHEIM. Werinherus manſum & caſam & duos jurnales de terra aratoria, & quidquid ad ipſum manſum pertinebat, in *Durincheim ſuper fluvio Reni* an. XLV Karoli regis S. Nazario conſecravit.

IBERNSHEIM, *Ibernesheim*, *Ibersheim*, *Ebernsheim* in pago Wormat. ultra viginti inſtrumenta traditionum Laurisham. ſub Pippino & Karolo regibus produnt. Viculus in villam hodie redactus eſt, infra Wormatiam ad Rhenum.

HAMME villa & *Hammer marca* pagi Wormat. in ejusdem abbatiæ chartis ſub Karolo M. ſæpius commemoratur.

EICHINUM cum Hamme, Dinenheim &c. in pago Wormat. an. XV Karoli regis & anno ſequenti *Eichinen* cum Mettenheim & Oſtowa in eodem pago commemoratur. In aliis ejusdem ævi traditionibus *Aichinum* & *Heichinen* ſcribitur. *Echena* Buggo, Wormat. epiſcopus, ſcripſit an. 1139 (*i*). Hod. *Eich*.

HOSTHOVEN in pago Wormacenſi cum Paternivilla, Flamersheim, Iſinburc charta Grodegangi, epiſcopi Met. pro abbatia Gorzienſi an. 765 commemorat (*k*). In traditione Laurisham. an. XVI Karoli regis *Oſtowa* cum Eichinen & Mettenheim comparet. Oppoſitus ei ad occidentem vicus *Weſthofen*.

ABUN-

(*g*) *Schannat hiſt. Worm.* t. II, pag. 10 & 13, ad an. 891 & 897.

(*h*) Ibid. t. I, pag. 29.

(*i*) Ibidem pag. 20.

(*k*) *Calmet hiſt. de Lorr.* t. II, prob. col. 106.

Digitized by Google

ABUNHEIM, hod. *Abenheim*, ruſtice *Obenem*. Bona ſua in Abunheim, in pago Wormazgouue, in comitatu Chunradi, Henricus I rex Germ. permutavit cum bonis abbatiæ Fuld. in pago Engilin, in comitatu Meginwardi præſidis, & in pago Nabelgouue, in comitatu ejusdem Meginvardi. Traditio nomine regis facta eſt manu Kuonradi comitis in Wormazfelde an. 932 (*l*).

MERSTAT & *Meriſtat* villa & marca ſub Pipino & Carolo regibus; *Mergiſtat* ac *Mergeſtat* cum Guntheim ſub Ludovico Germ.

PATERSHEIM, Latine *Paterni* & *Patroni villa*, hod. *Pfetersheim*. Pipinus rex & Chrodegangus, epiſcopus Metenſis, Gorzienſi apud Lotharingos monaſterio in pago Wormacienſe in *Paternivilla* vel in *Patersheim* baſilicam, in honorem S. Mariæ conſtructam, cum curte indominicata, caſa, aliisque ædificiis, ſervis & ancillis donarunt (*m*). Pfetershemii eccleſiam b. Mariæ Virgini dicatam eſſe, teſtis eſt Schannatus (*n*). Fruotuuinus quidam abbatiæ Fuldenſi vineas duas tradidit in pago Uuormacinſe, in villa, cujus vocabulum eſt *Patronivilla*, an. III Karoli regis (*o*). Traditiones Laurishamenſes diſtinctius locum hunc vocant *Phetersheim*, ubi monaſterium hoc multas vineas dono accepit Pipino & Carolo regibus. Regino Carolum Simplicem, Galliæ regem, Alſatiam & partes illas Rhenenſes usque Moguntiam ut recuperaret, *Patennicheim* villam juxta Wormatiam hoſtiliter perveniſſe, ad an. 923 narrat. Puto legendum hic eſſe *Paternisheim* vel ſimile quid.

KREI-

(*l*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 570 ſq.

(*m*) *Meuriſſe hiſt. des eveques de Metz*, pag. 167 ſeq. & *Calmet hiſt. de Lorraine* tom. II, probat. col. 100 & 105 edit. novæ.

(*n*) *Hiſt. epiſc. Worm.* t. I, pag. 46.

(*o*) *Corp. tradit. Fuld.* n. 31.

Digitized by Google

KREIKESHEIM, hod. *Kriegsheim*, in pago Wormat. an. V Pippini regis, & *Kreicesheim* an. IV Karoli in litteris, quibus vineas quasdam hujus loci dono accepit abbatia Laurish. Villam *Crigesheim* in comitatu præfecturæ civitatis ſuæ ſitam eſſe dicit Burchardus Wormat. epiſcopus an. 1137 (*p*).

FLARIDESHEIM, hod. *Flörsheim*. Bernher & Adalhart in pago Wormat. in Dagolfesheim marca & in *Flaridesheim*, & in Aresheim & in Wackenheim dimidiam poſſeſſionum ſuarum partem an. XV Karoli regis dederunt. In *Flarlesheim ſuperiore* quatuor jurnales traditi ſunt an. VIII ejusdem regis. Conradus II imp. mancipia juris ſui in prædio villæ *Flersheim*, quæ a parentibus ſuis acceperat, S. Petro Worm. & S. Cyriaco in proprium conceſſit, an. 1026 (*q*). Sed & *Fletersheim* in Laurishamenſibus chartis obvium ſub Carolo M.

DAGOLFESHEIM, Dagolfi villa, hod. *Dalsheim*. Erembertus presb. an. XII Ludowici imp. dedit, quidquid habuit in pago Wormatienſi, inter Bermersheim, Guntheim & Dagolfesheim. An. XXX Ludowici Germ. regis manſum & XXXVI jurnales in *Dagolfesheimer marca* Laurishamenſes permutarunt cum aliis bonis in Underheim. Triennio poſt iidem monachi in Guntheim, Bermodesheim & Dagolfesheim plura dono acceperunt. Chrodegangi, epiſcopi Metenſis, charta, Gorzienſi apud Lotharingos abbatiæ data an. 765, *Dagosbesher* habet vitioſe pro Dagolvesheim (*r*).

GUNTHEIM. Erlulfus & conjux ejus VVarburc præter bona ſua in Buckenheim, Merſtat, Bermodesheim & Dagolfesheim in pago Wormat. ſitis, baſilicam in honorem S. Mart. conſtructam

(*p*) *Schannat. hiſt. Worm.* t. II, pag. 68.

(*q*) Ibidem pag. 49.

(*r*) *Calmet hiſtoire de Lorraine* tom. II, probat. col. 105.

Digitized by Google

in *Guntheim* cum ædificiis, agris, campis, pratis, vineis, & mancipiis XIV abbatiæ Laurish. dominio ſubdiderunt, an. XXIII Karoli regis.

BERMOTESHEIM. Folcrada quædam in *Bermersheim* marca tertiam partem manſi ac vineam, & *inter Bermotesheim* & *Guntheim* jurnales decem an. XII Ludovici imp. Laurishamenſibus donavit. *Bermersheim* & *Bermotesheim* confundit Beſſelius; at diſtinguenda eſſe duo hæc nomina, Folcradæ charta innuit. Bermershemium eſt inter Alcejam & Armshemium; Bermotesheim, quod nunc *Bermersheim* quoque vocatur, prope Gunthemium. Alibi *Bermodesheim* & *Bermutisheim* ſcribitur. Wigherus chorepiſcopus & Meginrata terram arabilem *inter Guntheimir marcam & Bermodesheim & Dagolfesheim* an. XXXIV Ludowici regis dederunt. Eſt tamen traditio Eremberti de tribus jurnalibus *inter Bermersheim & Guntheim & Dagolfesheim*, an. XII Ludowici imp. Adeo incerti & inconſtantes fuere in ſcriptura ſua veteres.

GUNTIRSHEIM marca cum Haresheim & Niwerheim in traditione Rotgardis anno primo Karoli regis; alibi *Guntmaresheim* & *Guntmarsheim* ſub eodem rege. At an. XII Ludowici regis *Guntrameshcim* ſcribitur una cum Guntheim & Bermodesheim.

MELDRISHEIM marca an. III Karoli, trienioque poſt *Meltridesheim* cum Gautzwinesheim pago Wormat. adſcribitur, hod. *Melsheim*.

NIWERHEIM, hod. *Niffernheim*, cum Haresheim marca in pago Wormacinſe an. I Karoli regis ponitur, Latine *Niuuora*, in Gailæ & Bucconis litteris traditionum an. II & XXVII ejusdem regis. Freherus *Niuuora* a *Niuuarcheim* male diſtinxit.

§. VII.

Inter Primm. & Saluſiam.

Inter Primmam atque Saluſiam ſupra Seebacum:

ENSELTHEIM. Anſildis, illuſtris proſapiæ femina, cum marito ſuo Antolfo in pago Wormat. in villa, quæ vocatur *Enſelt-*

Digitized by Google

ſeltheim, quæcunque habuere prædia & mancipia, dono, ſeſeque cum filiabus ſuis, Volchendruda, Judda & Hildegart, ad officium camerariorum miniſteriales abbatiæ Laurish. obtulerunt. Actum ſub die II id. Ap. an. XXIII Karoli M. Brevi poſt Adelhelmus & Altmannus quinque hubas in *Enſiltheim* marca dederunt. Conradi III imp. diploma pro monaſterio in Dreiſa an. 1144 villam *Enſlitheim* habet.

Stetin cum Albulfivilla ſtatim proditurum eſt. Eccleſia in villa *Steti* in charta Ludovici Jun. an. 880 ante Sprendilingenſem recenſetur.

Albulfivilla. In pago Wormat. in loco, qui dicitur *Albulfivilla*, baſilicam & XIII manſos cum mancipiis inter *Gomuritesheim* & *Stetin* Ludovicus Pius anno XXII imperii ſui abbatiæ Prumienſi donavit. Actum Albulfivilla *palatio regio* (*s*), de quo ſupra (*t*). Hoc Latinum Albshemii ad Primmam nomen. Vernacule *Albolfesheim* dicebatur, uti ex Ludovici Germ. diplomate, eccleſiæ Neuhuſanæ prope Wormatiam an. 869 dato (*u*), addiſcimus.

Gomuritesheim, quod in Albulfivilla modo commemoravimus, nunc dicitur *Gawersheim*.

Hulvinisheim, hod. *Ilvesheim*, cum Baldolfisfelde in pago Wormat. ponitur an. V Karoli regis. *Ulvenesheim* cum Alceja inferius occurret.

(*s*) Donationis hujus inſtrumentum vid. in *Martenii & Durandi ampliſſ. collect.* tom. I, pag. 93, & in *Honthemii hiſt. Trevir.* t. I, pag. 178; qui tamen verba poſtrema de palatio regio addere neglexit.

(*t*) Pag. 46.

(*u*) In *Schannat. hiſt. Wormat.* tom. II, pag. 9.

Frecmaresheim. Anno vii Karoli Friderich & Germo, quidquid in pago Wormat. in *Ibersheim* & in *Frecmaresheimer marca* habuerat Reginbodo, & quinquennio ante Rotrudis omnia quoque ſua in *Frigmersheim* ejusd. pagi S. Nazario contulerunt. Hodie *Freimersheim* cognom. *hinter der wart*, id eſt, retro ſpeculam, Alcejanam nempe, juris Palatini vicus.

Aschininbrun, hod. *Eſſelbronn.* Crotbertus in *Aſchininbruner marca* an. xv Pipini regis, ac biennio poſt Ainingo in *Eſcilibruner marca* rem ſuam in Laurishamenſes contulerunt. Alibi *Aſchibrun* & *Haſchinbrune* locus hic ſcribitur.

§. VIII.

Inter Seebach & Saluſiam.

Inter Seebacum atque Saluſiam usque ad Oppenhemium: Dudilesheim, hod. *Diedelsheim.* Erlwinus in pago Wormat. in *Frimersheim* aream cum omni ædificio ſuperpoſito, & quidquid in eadem marca vel in *Dudilesheim* habuit, S. Nazarii eſſe voluit an. vi Ludowici regis.

Ebbelesheim & *Ebbeliſheim*, pagi Wormat. vicum, omiſſa pagi mentione, tres chartæ Laurish. ſub Carolo rege commemorant.

Dutenheim, hod. *Daudenheim.* Rinoldus & Wiſogoz in pago Wormat. in *Dutenheim marca* manſum & triginta jurnales an. xiii Karoli regis.

Hepphenheim. Gomonolfus presbyter duos manſos in *Hepphenheim* cum eccleſia & ædificio ſuperpoſito & vineas tres, aliaque bona tum ibidem tum in *Freimeresheim* ſita an. xxii Karoli regis; Witegowo comes unum manſum in Hepphenheim cum vinea & xxx jurnalibus S. Nazario obtulerunt. *Heppenheim*, quod ſupra (*x*) dedimus, & *Hepphenheim* diverſa loca eſſe, conſtans ſcribendi diverſitas, quantumvis levis, admonet, quum tradi-

(*x*) §. v, pag. 251.

Digitized by Google

traditiones Laur. ſeptendecim Heppenheim, viginti Hepphenheim una ſerie habeant. Cum Hepphenhemio jungitur Frimershemium; unde ſub nomine iſto vicum *Heppenheim im Loch*, qui Frimershemio proximus eſt, latere colligimus. Dictus quoque eſt idem vicus *Heppenheim ſuperius*, ut ab altero ad Iſinam, quem nunc *auf der VViesen* cognominant, diſtingueretur. Herimannus ſaltem jurnalem in pago VVorm. in Frimersheim, duosque alios in Heppenheim ſuperiore Laurishamenſibus dedit an. XXXV Karoli regis.

FRIMERSHEIM, villa pagi VVorm. in traditionibus S. Nazarii ſexagies hoc conſtanter nomine comparet, ſub Pippino & Karolo regibus. Jungitur ei *Heppenheim ſuperius* an. XXXV Karoli, & *Dudilesheim* an. VI Ludowici regis. Anonymus vitæ Ludovici Pii ſcriptor principem hunc cum patre ſuo an. 799 Aquisgrano Fremershemium veniſſe ad Rhenum, ibique placitum generale habuiſſe refert (*y*); unde palatium regium Fremershemii fuiſſe colligeres. Villa ſaltem regia fuerit. Chronica S. Dionyſii, ubi eadem de re agit, Fremershemium Caſtellum (*Chaſtel*) appellat. Nunc *Freimersheim unter Alzey*, i. e. infra Alcejam dicitur, vicus comitatui Falckenſteinenſi adſcriptus. Frecmarshemium, de quo ſupra (*z*), a Frimershemio Beſſelius non diſtinxit; Freherus Frecmarsheim a Frigmersheim male diſtinxit.

BLATMARSHEIM, hod. *Blödesheim*. An. XIV & XXI Karoli Theodo & Othildis conjuges in pago Wormat. in *Blatmarsheim* vel *Blatmarisheim* varia bona duplici donatione abbatiæ Laurish. tradiderunt.

INGENNESHEIM, hod. *Ensheim*. Abbatiæ Fuldenſi Nantherus legavit rem ſuam in villa *Sulzanheim* & *Ingennesheim* in pago *Uuormazfeld*, an. XVII Karoli regis.

(*y*) Cap. X.

(*z*) §. VII. pag. præced.

MUNCINHEIM. Blidhildis, Gauzrot & Salecho in pago VVormat. in *Muncinheim marca* pro tribus & viginti jurnalibus, abbatiæ Laurish. venditis, octo ſolidos probos atque penſales ſe accepiſſe teſtantur an. XIV Pippini regis.

DITTILESHEIM, hod. *Dittelsheim.* Adalbertus quidam in pago VVormacinſe in villa, quæ dicitur *Heſinloch*, curtem dominicatam, & inter ipſam marcham & *Dittilesheimaru marcu* atque *Thuringheimaru marcu*, quidquid proprietatis habuit, Hornbacenſi S. Pirminii monaſterio donavit an. XIV Hludowici imp. Inſtrumentum infra exhibemus. In Laurishamenſibus chartis *Ditelsheim*, in Fuldenſi *Tittelesheim* (*a*) locus hic ſcribitur.

ESINLOCH inter *Mettenheim* & *Gimminsheim* commemoratur in traditione VVillingi & Bumanni fratrum an. III Karoli regis. Anno ſequenti Halidricus & conjux ejus Crorada in pago VVormat. in *Munzinheim* marca, quidquid habuerunt, & in alia marca *Haſenloch* manſum unum dederunt. In aliis traditionum chartis *Heſinloch*, hod. *Heſsloch.*

FRITTENHEIM an. XV Pippini & an. V Karoli regum in pago VVormat. cum Turincheim & VVitzun collocatur. Alibi *Fruttenheim*, hod. *Frettenheim.*

BERTOLFESHEIM. Unum manſum in pago VVormat. in *Bertolfesheimer marca* & III jurnales, & in uno jurnali molendinum & duo prata & unam vineam Laurishamenſes dono impetrarunt an. XV Pippini regis. Quatuor aliæ traditiones ejusdem pagi & loci ſub Carolo M. mentionem faciunt. Terræ araturiæ jugera XV inter *Uuinolfesheim*, *Berahtolfesheim* & *Teinenheim* an. XXX Karoli Fuldenſes accepere (*b*). Vocatur nunc *Bechtolsheim*, uti Bertoldus & Bechtoldus promiſcue dixerunt veteres.

Cu-

(*a*) *Schannat corp. tradit. Fuld.* num. 54.

(*b*) Ibidem num. 130.

Digitized by Google

Cuningesheim, hodie *Köngernheim.* Hunoldus & Gozdrat in pago VVormat. in *Hagenheim* & in *Cuningesheimer marca* jurnales duos S. Nazario obtulerunt.

Hildebodesheim, hod. *Hilsheim.* Erchenbertus in pago VVormat. In *Hildebodesheimer marca* agrum unum an. iv Karoli regis dedit.

Thurincheim, hod. *Dorn-Durckheim.* Sirigo in pago VVorm. *inter Thurincheim & VVinterisheim* quinque jurnales an. xv Pipini; Malboldus & Berchswint conjuges rem ſuam *inter Durincheim & Alasheim* an. xiv Karoli regis monachis S. Nazarii tradiderunt.

Dulgisheim, *Dulgesheim* & *Dulgensheim* in chartis Laurish. promiſcue ſcribitur, hod. *Dolgesheim. Dulgahesheim* traditio habet Rangwici an. xii, et Fuldenſis *Tulgesheim* an. xxxiiii Caroli regis (*c*). Godehildis vineam in pago VVormat. in *Rudolfesheimer marca* et in *Dulfisheim* ſeptem prata habuit an. viii ejusd. Karoli.

VVintrisheim. An. xvi Pippini Theudo viniolam tenentem duos ſcamellos in pago VVorm. in *VVintrisheim marca*, VVolfger vineam quoque in *VVinteresheim* an. xiv Karoli regis, et ſexennio poſt Nantherus atque Nithardus peciolam de vinea in *VVintirisheim*, præter duas in Durincheim, S. Nazario dicarunt. Alibi *VVentrisheim* ſcribitur, hod. *VVintersheim.*

Uminisheim, hod. *Eimsheim*, an. xi, *Uminesheim* an. xvi Pippini regis in pago VVormat commemoratur. Decennio poſt VVolfratus ibidem dedit molendinum. Hinc inde *Ominesheim*, *Omnisheim*, *Umanesheim* at *Umesheim* legitur. Traditio Fuldenſis an. xi Hludowichi imp. in pago VVormacinſe villam *Omunheim* prodit (*d*). Umbshemium ad capit. rurale Guntersblumenſe ſec. xv relatum fuit. Freherus *Vininesheim* habet pro Uminesheim.

VVi-

(*c*) Ibidem num. 159.

(*d*) *Schannat* l. c. num. 360.

Digitized by Google

VVinolfesheim, hod. *VVeinolsheim.* VValtmundus, filius Ebermundi, cum Hugimundo, filio ſuo, quidquid in *VVormacinſe*, in Oppenheim, Uminesheim, *VVinolſesheim* et VVintersheim, tam de alode parentum, quam de quolibet attracto habuerunt, an. xxii Karoli. In traditione Fuld. triennio ante *VVinesheim* cum Teinenheim, Talaheim etc. occurrit (*e*).

Ulfretisheim, hod *Ilversheim*, in pago VVormat. cum Dinnenheim et Giminisheim an. xi, *Ulfridesheim* cum Dulgahesheim et VVintresheim an. xii Karoli, nec non cum Oppenheim anno xxix ejusd. regis in Laurishamenſibus chartis proditur. Anno xxxii Fuldenſes in pago Uuormacinſe in villa, quæ dicitur *Ulfritesheim*, aream cum caſa et jugera xliii impetrarunt (*f*). In traditione Lantsuindæ an. xiv Pippini regis *Uluuernsheim*, in diplomate Henrici v imp. pro eccleſia VVormat. *Ulvortesheim* locus hic ſcribitur. Freherus (*g*) *Uluuerusheim* vitioſe habet, et ab *Ulfridesheim* male diſtinguit.

Dalaheim. Baſilicam in pago VVormat. in *Dalaheim*, in honore S. Martini conſtructam, et manſum, in quo ipſa baſilica ſita eſt, et xxv jurnales et duos ſervos, et inter Dienheim et Oppenheim iv vineas ad ipſam eccleſiam pertinentes, Bubo quidam an. xxxvi Karoli regis S. Nazario obtulit. Sexennio ante monaſterio Fuld. areæ duæ cum ædificio in pago *Uuormacinſe*, in villa quæ dicitur *Talaheim*, traditæ ſunt. Inter teſtes Hatto comes (*h*).

VValaheim. An. xi Karoli regis Nortberath vineam ſuam in pago VVormat. in *VValaheim marca* dedit. Dicunt nunc *Haugenwalheim.*

Alais-

(*e*) Ibid. num. 770.

(*f*) *Tradit. Fuld.* num. 139.

(*g*) *Orig. Palat.* part. ii, pag. 60.

(*h*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 128.

Digitized by Google

Alaisheim, hod. *Alsheim.* Vineam in pago Wormat. in *Alaisheimer marca* Aigilus an. xvi Pipini; Carolus Craſſus, agens Wormatiæ, in eodem comitatu curtem indominicatam ad villam *Alesheim* an. 884 dederunt (*i*). Chronicon Laurish. Carolum hunc prædium ſuum in villa *Alasheim in pago nuncupato Wormazfeld, in comitatu Walonis*, S. Nazario tradidiſſe refert (*k*). Sed & Otto III imp. Salſenſi in Alſatia cœnobio prædium in *Alesheim*, in pago Wormac. contulit an. 992.

Mettenheim. Willingus & Bumannus fratres in pago Wormat. in *Mettenheimer marca*, manſos, domus, ædificia, campos, vineas, ſilvas, aquas & baſilicam, in ipſa villa in honore S. Martini & S. Briccii conſtructam, an. III Karoli regis; Rubertus, filius Ruberti comitis, duos manſos cum hubis ibidem an. XXIII Ludowici imp. tradiderunt.

Gimminheim, hod. *Gimsheim.* Anno xv Pippini regis Sirigo pratum in pago Wormat. in *Gimminheim*; an. II Caroli regis Bernold & Rachildis conjuges curtim in pago Wormat. in *Gimminisheimer marca*, & biennio poſt Lungwindis rem ſuam in eod. pago in *Geminisheim marca* & in VVintresheim & in Toringonheim, S. Nazario adſcripſerunt. Freherus *Gemminisheim* & *Gimminheim* diverſa loca eſſe putavit.

Rudolfesheim cum Hamme, Dinenheim, Bermersheim &c. in pago VVormacinſe ponitur an. xv Karoli. Pippino & Karolo regibus plurimas ibidem vineas abbatia Laurish. dono accepit. *Hruodolfesheim* in traditione Fuldenſi (*l*), *Rodulfisheim* in Prumienſi (*m*) ſcribitur, hod. *Rudelsheim.*

Ll Dei-

(*i*) *Freher. orig. Pal.* part. I, pag. 46, *Helwich. antiq. Laur.* cap. IX, *Miraei opp. diplom.* t. I, p. 650.

(*k*) *Freher. ſcript. rer. Germ.* t. I, p. 113.

(*l*) *Schannat trad. Fuld.* n. 77.

(*m*) *Martenii & Durandi ampliſſ. collect.* tom. I, p. 94.

Digitized by Google

DEINENHEIM. Leidrat comis vineam in pago *Uormacinſe in villa nuncupante Deinenheim* monachis Fuldenſibus an. III Pippini regis, teſte Votone comite (*n*); Laurishamenſibus Ado jurnalem in pago VVormat. in *Oppenheimer marca in Dinenheim* an. XIII Karoli regis contulere. In loco *Irdinaburc, in Dinenheimer marca*, vineam dedit Agatha an. XXXVI ejusd. regis; qui villam ipſam regiam Dinenheim, ſitam in pago *Uormazfeld, ſuper fluvium Renum*, circa an. 790 eccleſiæ Fuld. conceſſit (*o*). Alibi *Tinenheim* (*p*) & *Teinenheim prope ripam flum. Hreni* (*q*).

§. IX.

Inter Rhen. & Saluſiam.

Inter Rhenum & Saluſiam ab Oppenhemio usque ad Moguntiam:

OBBENHEIM *villam ſitam in pago VVormatienſe ſuper fluvium Rhenum* Carolus M. cum terra jacente in campo villæ *Thechidesheim*, & pertinente ad eccleſiam Obbenheimenſem an. VI regni ſui; Heimericus comes & Hermannus vineam in pago VVormat. in *Oppenheimer* marca cum octo mancipiis an. 781 Laurishamenſi tradiderunt cœnobio. Fuldenſe arialem & domum in villa, quæ vocatur Oppenheim, in pago Uuormazfeldæ, dono accepit an. I Hludouuici imp. (*r*) Anno XXI ejusd. imp. tres vineæ *inter Oppenheim & Dinenheim* S. Nazario oblatæ ſunt.

THECHIDESHEIM Oppenhemio proximum hod. *Dexheim.* Arnolfus rex in pago VVormazfelda, in comitatu Megingaudi, eccleſiam conſtructam in villa *Dechideſtein* cum ædificiis, familiis ac mancipiis utriusque ſexus abbatiæ Fuld. an. 889 contulit (*s*).

NE-

(*n*) *Schannat tradit. Fuld.* n. 7.
(*o*) Ibidem num. 90.
(*p*) Ibid. num. 132 & 180.
(*q*) Ibid. num. 113, 130, 221, 246 &c.
(*r*) Ibid. num. 271.
(*s*) Ibid. n. 531. & ap. *Eccard. orig. domus Saxon.* pag. 259.

Digitized by Google

Neriſtein. Baſilicam S. Mariæ in villa Neriſtein, in pago VVormat. Carolomannus, Pipini regis frater, VVirceburgenſi eccleſiæ tradidit (*t*), & Ludovicus imp. Francofurti confirmavit anno imperii ſui nono (*u*). Capellam ad *Nerenſtein* Ludovicus junior ad capellæ S. Salvatoris Francofurt. poſſeſſiones retulit anno 880 (*x*). Palatium heic regium fuiſſe, Ottonis III diploma, cœnobio S. Felicis prope urbem Metenſem an. 991 in *palatio Neriſtein* datum (*y*), nos docet. Avia Ottonis, Adelheidis aug. Italiam petens, *Neheriſtein*, locum in ripa Rheni fluminis, perveniſſe legitur in vita S. Cadroæ abbatis (*z*). Datum quoque in *Nerſtein* Henrici II imp. diploma pro eccleſia VVormat. menſe Aug. 1012 (*a*).

Nachheim, hod. *Nackheim*. Teudaldus & conjux ejus Runtrudis quatuor vineas in pago VVormat. in *Nacheimer marca* dederunt an. IV Karoli regis.

Lorenzenvillare, hod. *Lorzweiler*. VValtherus quidam in pago VVormat. inter Lorenzenvillare, Hepfanheim & VVinolfesheim manſos duos abbatiæ VVeiſſenburg. beneficio hab uit (*b*).

Battenheim, hod. *Bodenheim*. Fuldenſes in pago VVormac. in villa Battenheim vineam an. III Pippini regis dono accepere (*c*). Laurishamenſibus Helmericus in pago VVormat. in

(*t*) *Fries hiſt. epiſcopor. Wirceburg.* p. 394, & *Eccard rer. Franciae orient.* t. I, p. 391. Uterque ſcriptor donationem hanc Carolomanno, Caroli M. fratri, tribuit; error.

(*u*) *Eccard* l. c. tom. II, pag. 882.

(*x*) *Hontheim hiſt. Trevir.* tom. I, pag. 218.

(*y*) *Mabillon de re diplom.* lib. VI, num. 145.

(*z*) Ejusd. *acta ſanct. ord. Bened.* ſec. V, p. 493.

(*a*) Ap. *Schannat hiſt. epiſc. Worm.* tom. II, pag. 39.

(*b*) *Breviar. rer. fiſcal. Caroli M.* ap. *Eccard. Franc. orient.* tom. II, p. 907.

(*c*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 6 & 10.

Digitized by Google

Bathenheim marca manſum cum curia, & Adaltrudis vineas in *Batenheim* & Moguntia civitate donarunt.

NUBENHEIM. Autgiſus homo ingenuus res ſuas in pago VVormat. in Batenheim & in Moguntia civitate ſub Karolo rege S. Nazario obtulit, ut in beneficium viciſſim acciperet in Brizzenheim manſum & mancipia novem, & vineas tres inter *Batenheim, Nubenheim* & *Duncinesheim*. Alibi *Nuvenheim* ſcribitur, hod. *Laubenheim*, eadem ratione, qua veterum *Nanſtul* nunc *Landſtul* dicitur.

DUNZINESHEIM, vicus in hac regione deperditus, ubi Gerolſus & Brunicho abbatiam Laurisham. manſis & vineis locupletarunt Karolo rege.

BISCOFESHEIM, hod. *Gau-Biſchofsheim*, ubi Theutſuuindis manſos, prata, vineas, domus, ſilvas, molendina & mancipia XII poſſedit. Capellæ S. Salvatoris Francofurt. eccleſiam in Biſcovesheim cum omni decimatione & mancipiis Ludovicus junior an. 880 confirmavit (*d*).

ABURINESHEIM, hod. *Ebernsheim*. Richbodo abbas Laurisham. datis in pago Worm. in villa Aburinesheim XVI jurnalibus & vinea, in pago Renenſi in villa Birſtat alia bona accepit anno XXI Karoli regis. Novennio poſt Baldswindis opes ſuas in pago Wormac. in villa nuncupata *Habarinesheim* abbatiæ Fuldenſi donavit (*e*).

ULMENA, hod. *Ulm*, de quo infra in Burchardo comite an. 994. *Superior* & *inferior Olmema* ſupra ex ſec. XIII comparuit (*f*).

ZAREZANHEIM, hod. *Zornheim*. Prodit hanc villam pagi Wormac. Fuldenſis traditio an. tertio Karoli regis (*g*). Confer mox *Salſen*.

Mo-

(*d*) *Hontheim hiſt. Trevir.* tom. I, pag. 218.

(*e*) *Schannat Fuld. trad.* num. 131. adde num. 154.

(*f*) Pag. 243.

(*g*) *Schannat. trad. Fuld.* num. 28.

Digitized by Google

Momenheim. Franco jurnalem terræ araturiæ & vineam in pago Wormat. in Momenheim an. xiii Pipini, ac biennio poſt Alo & Hilvic duos jurnales in *Mumenheim* marca dederunt. Fuldenſes chartæ *Momonheim* habent (*h*).

Salsen, hod. *Selſen.* Sigibaldus rem ſuam in pago Wormat. in Salſen marca, & in *Tzarenheim* & in Rodenbachir marca tradidit anno xiv Karoli regis.

Hagenheim, hod. *Hanheim,* in pago Wormat. *ſuper fluvium Saluſiam* Williswinda & filius ejus Cancor comes novo ſuo monaſterio Laurisham. tradiderunt an. xii Pippini regis (*i*).

§. X.

A Moguntia usque ad Saluſiæ Rhenique confluentes: **Moguntia aliaque.**

Moguntia. Antiquam hanc civitatem in veteri pago Wormatienſi ſitam fuiſſe, Laurishamenſes, Fuldenſes, aliæque ſeculi octavi & ſequentis chartæ uno veluti teſtantur ore. An. 771 Ainoldum unum manſum in pago Wormat. in *Moguntia civitate*, quadriennio poſt Waltherum duo prata in pago Worm. in *Megunzer marca*, eodemque Richbaldum in pago Worm. in Moguntia civitate juxta portam S. Quintini manſum S. Nazario tradidiſſe, traditiones Laur. loquuntur. Abbatiæ Fuld. Carolus in pago Wormacenſe quidquid Otkarius in beneficium habuit, hoc eſt in Mogontia civitate manſos xxv, xvi lidos &c. cum vineis circa an. 779 donavit (*k*). Anno 804 Gundramnus dedit in civitate Mogontia areolam & in ipſius urbis marca duodecim jugera cum prato, & in villa Teinenſieim quatuor vineas, *omnia in pago Wormacinſe.*

Ll 3 Actum

(*h*) Ibid. num. 28 & 236.

(*i*) *Helwich. antiqq. Laurishami.* ſect. ii, cap. i, §. vi, & *Miraeus opp diplom.* tom. i, pag. 642.

(*k*) *Schannat tradit. Fuld.* n. 57.

Actum in conventu regali Mogontiæ (*l*). In civitate Mogontia, *quae ſita eſt in pago Vurmacenſe*, quinque areas Uuigrichus donavit an. 822 (*m*). In palatio regio Moguntiæ Pipinus rex abbatiæ S. Maximini privilegium dedit an. 765 (*n*).

BRITTENHEIM, hod. *Bretzenheim.* Dudo XXX jurnales in pago Worm. in *Brittenheimer marca* & in Binger marca manſum unum cum caſa, vineis & ſilvis, totidem jurnales in ead. Brittenheimer marca Nantherus an. XVI Pipini regis dederunt. *Villa Prittonorum foris murum civitatis Mogontiae*, *mons Prittonorum* in marca Mogontiæ, & *villa Brittanorum* in chartis Fuldenſibus legitur (*o*). Anno III Karoli regis abbas Lauriſh. res Thurimberti in villa Birſtatt accipiens, in pago Wormat. in villa *Brizenheim* jurnales XXXII & argenti uncias tres viciſſim dedit. Ejusdem abbatiæ bona in *Brizzenheim* Autgiſus, vir ingenuus, in beneficium habuit an. VIII Karoli. Freherus (*p*) Bretzenhemium trans Navam male huc retulit.

GUNSENHEIM. Teutrath in pago Worm. in Gunſenheim marca quinque jurnales & pratum an. VII Karoli, & ſequenti Nantherus ac Wiland in pago Wormat *juxta Mogonciam civitatem* in Gunſinheim marca XLV jurnales & mancipia ſeptem largiti ſunt. In tradit. Fuld. an. XX Karoli *Gunſanheim* ſcribitur (*q*).

BUTENHEIM inter loca circa Maguntiam ſita, in quibus eccleſia S. Nazarii hubas poſſedit, cum Lubenheim & Gunſenheim recenſetur. Freherus nomen hoc cum *Botinesheim* miſcuit.

WA-.

(*l*) Ibid. num. 183.

(*m*) Ibid. num. 326, add. num. 333.

(*n*) *Calmet hiſt. de Lorr.* tom. II, probat. col. 105.

(*o*) *Schannat corp. tradit. Fuld.* n. 2 & 40. Adde n. 50.

(*p*) *Orig. Palat.* part. II, pag. 60.

(*q*) *Schannat.* l. c. num. 87.

Digitized by Google

VVacharenheim, hod. *Wackernheim.* Vineam in pago Uuormacinſe in villa Vuacharenheim ad latus Pippini regis (*r*), caſam Odagri, qua ipſe manebat, cum curte dominicata ibidem an. iv Karoli (*s*), an. xxxii partem eccleſiæ in villa hac abbatia Fuld. (*t*) obtinuit. Duas traditiones poſteriores teſtis ſignavit Hatto comis, & cum illo poſtremam Landbertus, nuntius regis, & VVolfradus comes.

Engilonheim. Eccleſiam S. Remigii in villa Engilonheim in pago VVormat. Ludovicus Pius inter epiſcopatus VVirceburg. poſſeſſiones, a Carolomanno, avi ſui fratre, acceptas, recenſet an. ix imperii ſui (*u*). An. xxii ejusdem imp. Agano, palatii regii *Hingilinheim* exactor, pro rebus fiſcalibus in villa pagi VVormat. Vechenheim abbatiæ Prum. relictis, in eodem pago in villa *Ingilinheim* curtilem aliaque bona accepit (*x*). Inter villas ſuas indominicatas *Ingilenheim* cum locis illuc pertinentibus, Triburia, Crucenacha, Liutra etc. Carolus Craſſus refert an. 881 (*y*). Octennio poſt Arnolfus rex *Ingulunheim* nominavit et *Ingulinheim*, quum non ſolum eccleſiam loci, ſed et decimam de fiſcis dominicis epiſcopo VVirzburg. confirmavit (*z*).

Elisanheim et *Elſinhaim* in charta Fuld. an. xxii Karoli regis (*a*), hod. *Elsheim.*

§. XI.

(*r*) Ibidem n. 9.

(*s*) Ibid. num. 36.

(*t*) Ibid. num. 143.

(*u*) *Eccard. rer. Franc.* tom. ii, pag. 882.

(*x*) *Martenii & Durandi ampliſſ. collect.* tom. i, pag. 92.

(*y*) *Hontheim hiſt. Trevir.* tom. i, pag. 219.

(*z*) Ap. *Eccard* l. c. p. 893 & 896.

(*a*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 91.

Digitized by Google

§. XI.

Inter Saluſ. & Navam.

Inter Saluſiam, Rhenum et Navam, usque ad VViſæ cum Nava conjunctionem:

VVIGENHEIM, hod. *Weinheim* ad Rhenum, vulgo *Frey-Weinheim.* Erembertus et Salcho fratres in pago VVorm. in VVigenheimer marca, in monte, qui dicitur *Wizenberc*, dimidiam vineam an. III Karoli regis, aliamque vineam quadriennio poſt Unrochus in *Wigeheim* tradiderunt.

ALAGASTESHEIM, hod. *Algesheim*, villa pagi VVormat. in tribus monaſterii Laurish. traditionum chartis celebratur ſub Pipino et Karolo regibus.

AFFLOHEIM, hod. *Appelheim*, villa ejusd. pagi anno nono et decimo Karoli ibidem.

BERCHEIM marca pagi VVormat. in Rudolfi cujusdam traditionis charta an. XV Pipini regis. Barbara voce *Admontibus* in tradit. Fuld. ſub Carolo M. idem locus indicari videtur, qui nunc deſtructus.

TRUTMARESHEIM, hod. *Dromersheim.* Eggioltus quidam in pago Uuormac. in villa Truhtmaresheim hereditatem ſuam, domus, ædificia, eccleſiam etc. anno tertio Pipini regis; Hartmunt manſos, caſas, vineas in eodem loco anno IV Karoli Fuldenſi monaſterio tradiderunt, teſte in utraque charta Hattone comite (*b*). Laurishamenſis eccleſia manſum, in quo tres homines manere poſſunt, cum triginta jurnalibus terræ et vinea in *Truchmaresheim* dono accepit an. XVI Pipini regis.

GAUTZOLDESHEIM, hod. *Gaulsheim* ad Rhenum. Curtim et vineam in pago VVormat. in Gautzoldesheim marca Anibertus ei dedit anno quarto Karoli regis.

CHAMUND, hod. *Kempten.* Manſum in pago VVorm. in Binga ad *Chamunder marca* dedit Immina ſub Karolo rege.

BIN-

(*b*) Ibid. num. 4 & 38.

Binga et *Binger marca* in pago VVormatienſe. Ita ſcribunt octo traditiones Laurisham. ſub Pippino et Carolo regibus; at Fuldenſes ſæpius *Pinga* habent et *Pingu*. In *Pingu marca* aream cum caſa et ædificiis, in quibus Ota habitabat, inter Pippini regis et Hagilgaucii comitis poſſeſſiones, anno VI regni Pippini, monaſterium hoc dono accepit (*c*). Sexennio poſt eidem Leidratus comis in pago *Uuormacinſe*, in *caſtro Pinginſe*, quod eſt conſtructum *ſuper fluvium Naba*, domus, vineas, terras & mancipia ſua vendidit, tam *intus murus caſtello Pingenſe*, quam *foris murum* ſeu in ipſa marca (*d*). Vualtrat vidua in caſtello *Pinge*, in pago Uormacinſe, & in caſtello Botbarta &c. rem ſuam cum conſenſu & licentia Votoni comitis an. VIII Hludouuici imp. tradidit (*e*). *Pingiorum marca* in pago Uuorm. in iisdem traditionibus an. XXV Karoli regis (*f*). Eodem tamen tempore quatuor traditiones Laurisham. *Binger marcam* in pago *Nahgowe* collocant.

Graulfesheim, hod. *Graulsheim* & *Grolzheim*, eadem ratione tum in Wormat. tum in Navenſi pago collocatur. Godolfus an. V & Heriwig an. XIV Karoli regis, ille tres, hic quinque jurnales in pago Wormat. in Graulfesheim marca; Wilandus rem omnem ſuam in pago Nahgowe in *Graolfesheimer marca* an. XI ejusdem regis S. Nazario contulerunt.

Genzingas marca cum Binga memoratur in Ludovi Germ. diplomate Prumienſi, an. XXXVII regni ſui Triburiæ dato (*g*).

Mm §. XII.

(*c*) *Tradit. Fuld.* num. 16.

(*d*) Ibid. num. 23.

(*e*) Ibid. num. 320.

(*f*) Ibid. num. 102.

(*g*) *Martene ampliſſ. collect.* tom. I, col. 191, & *Hontheim hiſt. Trevir.* tom. I, pag. 211.

Digitized by Google

§. XII.

Inter Saluſ. & Wiſam.

Inter Saluſiam & Wiſam, quæ prope Genzingam cum Nava miſcetur:

JUWILENHEIM, hod. *Jugenheim.* Fridebrecht & Eburacar decem jurnales in pago Wormat. in Juwilenheim marca an. XXVII Karoli regis. Freheri *Wilenheim* truncatum eſt hujus loci nomen.

SAUUILENHEIM villa pagi Wormazfelde in Cunibercti comitis traditione Fuldenſi an. XI Karoli regis (*h*), & cum Uuacharenheim an. XXXII (*i*). In Laurishamenſibus frequentius *Sonuelnheim* & *Sauuelnheim*, hod. *Saulheim*, duplex vicus, ſuperior & inferior.

OTENHEIM, villa pagi Wormat. hod. *Udenheim*, ubi vineas duas an. V Karoli regis, & manſum cum huba an. VIII Ludowici imp. Laurishamenſes acceperunt. In Adæ abbatiſſæ de Rotaha traditione an. XVIII Karoli ſcribitur *Odenheim.*

WELINGESHEIM, hod. *Welgesheim*, traditiones Laurish. in pago Wormat. ponunt an. II & XIV Karoli regis.

SPRENDILINGEN, hod. *Springlingen.* An. XV Pippini regis Mila ſervum & vineam; Ragnerus manſum cum caſa deſuper & duas vineas in pago Worm. in *Sprendilinger marca* donarunt. Villam *Sprendelingam* cum vineis in comitatu Wormac. Carolus Calvus Nivellenſi ſanctimonialium & canonicorum in Brabantia cœnobio donavit anno 877 (*k*). Eccleſiam ad *Sprendilingam* cum manſo Ludovicus junior capellæ S. Salvatoris, a patre Francofurti ædificatæ, an. 880 confirmavit (*l*).

GOZOL-

(*h*) *Schannati tradit. Fuld.* n. 58.

(*i*) Ibid. num. 143.

(*k*) *Miraei opp. diplom.* tom. I, pag. 502.

(*l*) *Hontheim hiſt. Trevir.* tom. I, pag. 218.

Digitized by Google

GOZOLVESHEIM an. XXIII & XXXIV Caroli M. in chartis Lauriſh. pago Wormatienſi, Navenſi *Cozolfesheim* cum Albucho & Wildiſtein in Ottonis I imp. diplomate, abbatiæ S. Maximini an. 962 Romæ dato (*m*), vindicatur. Hod. *Wolffsheim.*

WIHINHEIM cum Truthmaresheim & Sulziheim in pago Wormacinſe ponitur an. IV ejusdem Pipini regis (*n*). Intelligitur hic *Weinheim* prope Sulzhemium, vulgo *Gau-Weinheim.*

SULZHEIM. Odilmotus & filius ejus Ucbertus rem ſuam in pago Wormat. in Sulzheim marca an. XV Pipini; partem eccleſiæ ibidem Hiltwara Deo ſacrata an. XXVIII Karoli; in eadem villa Gawiman arcam ad latus imperatoris & viæ publicæ an. XXXVI ejusdem regis, illi Laurishamenſi, hi Fuldenſi monaſteriis obtulerunt. Alibi *Salzanheim* in pago Uuormazfeld ſcribitur.

WALAHESHEIM villam in Wormacenſe haud procul a palatio Ingilenheim, annales Fuld. ad an. 878 produnt. Hod. *Munch-Walheim.*

UNDENHEIM. Regnante Pippino Rutherus duos jurnales in pago Wormat. in *Undenheimer marca* tradidit. Sunt aliæ tredecim chartæ Laurisham. locum hunc ſub Carolo M. commemorantes.

CAISBOTESHEIM, *Cheisbotesheim*, *Keisbotesheim* & *Gesbotsheim* villa & marca pagi Wormat. ſub Pipino & Carolo M. ſæpius, nunc *Gauspizheim*, contracte *Gaubsheim.*

SPIZESHEIM, hod. *Spiesheim.* Atha & filia ejus Abba manſum & V jurnales in pago Worm. in Spizesheim an. II Karoli; Hirminwardus manſos X & duos jurnales in *Spizesheim* an. XXII ejusdem regis dederunt. Alibi *Spizesheim* cum Heimradesheim,

(*m*) *Calmet hiſt. de Lorr.* t. II, prob. col. 212.

(*n*) *Schannat tradit. Fuld.* n. 35.

Digitized by Google

& in duabus chartis *Spizersheim*, in Fuldenſi ſec. x *Spiozesheim* cum Moguntia & Dienenheim legitur.

HEICHINLOCH, hod. *Eichloch.* Lintfridus in pago Wormat. in villa, quæ dicitur Heichinloch, unum manſum & xxx jurnales an. XI Ludowici imp.

GOMMIRSHEIM prope Odernhemium. Wodelger & Willegart conjuges in pago Worm. in Heimradesheim rem ſuam, & in Gommirsheim marca manſum & XXXIII jurnales de terra aratoria cum prato & vinea dederunt an. III Karoli regis.

CUNINGEROHEIM, vulgo *Bös - Köngernheim*, ubi Cecilia tres jurnales ſub Carolo M. Laurishamenſibus dedit.

BERMERSHEIM. Waninbertus & Gundrat conjuges, nec non Wicbertus rem ſuam univerſam in pago VVormat. in *Bermersheim marca* an. V & VII Karoli regis. Confer ſupra (*o*) *Bermotesheim.*

ALBUCHA, hod. *Albich*, infra Alcejam. An. XVI Pipini Erradus vineam & triginta jurnales in pago VVorm. in Albucha, triennio poſt Adelhardus vineam in *Albucher marca*, & an. V Karoli regis Erneſtus manſum cum vineis, campis, aquis tradiderunt.

SCAPHUSON vide in Alceja ſeq. cui villa hæc proxima eſt.

ALCEJA. Arnolfus imp. decimationem ſalicæ ſuæ terræ in *Alceja*, *Scafhuſon*, *Ulvenesheim* & *Rogkenhuſon*, eccleſiæ VVormatienſi contulit an. 897 (*p*). Pagi quidem nulla fit mentio, ſed Alcejam cum reliquis locis in pago VVormat. ſitam eſſe, eo certius eſt, quod Alcejæ præſertim regio adhuc *Gau*, id eſt pagus, eminenti quodam ſenſu appellatur, quod de VVormatienſi intelligendum eſſe, in principio hujus deſcriptionis monuimus.

HEIM-

(*o*) §. VI, pag. 258.

(*p*) *Schannat hiſt. Worm.* tom. II, pag. 10.

Digitized by Google

Heimradesheim. Liutsuuind in pago VVorm. in Heimradesheim marca jurnales xxxix & manſum unum & vineam an. iv Karoli regis, & an. xxiii Biliram rem ſuam omnem in Flanheim, Brunheim & *Hemradesheim* dedere, hodie *Heimersheim.*

Laonisheim infra in Aribimesheim. In traditione VVilleradis an. xxiv Karoli regis *Lonesheim,* cum Brunheim & Heimradesheim, finitimis locis, commemoratur.

Brunheim, hod. *Bornheim.* Bernherius cum matre ſua VValtrude duos manſus cum caſa in pago VVormat. in Flanheim marca & in Brunheim marca an. xiv, Heruuinus manſum unum & tres vineas in *Bruniheim* marca an. xxx Karoli regis. In ſummariis traditionum Fuld. legitur *Bruningesheim.*

Flannenheim, hod. *Flonheim.* Anno xiii Pippini regis Radulfus in pago *Gormatienſi*, in Flannenheim marca baſilicam & quidquid ad illam ſpectabat; ſeptennio poſt Traherius & Gerbertus in *Flanheim* marca manſum & dimidium Laurishamenſi monaſterio contulerunt.

Botinesheim, hod. *Erbes - Büdesheim.* Baſilicam S. Michaelis in pago VVormat. in *Botinesheimer* marca, & in Brunheimer marca duas vineas cum ſilva Andulfus an. xvi Pippini, nec non Giſelhardus & Thiodoldus an. iv Ludowici imp. baſilicam in *Botinesheim* cum multis bonis; Geroldus unum manſum in pago VVorm. in *Butinesheim* cum caſa deſuper & area Laurisham. abbatiæ contulerunt.

Offenheim. Gimmundus in pago VVormat. in Offenheim marca, in monte, qui dicitur *Maronoberge*, vineam abbatiæ Laurish. obtulit an. iii Karoli regis.

Vechenheim. Agano, exactor palatii Hingilinheim, de rebus fiſcalibus curtilem & terræ arabilis jurnales lxxiv in pago VVormac. in villa Vechenheim abbatiæ Prumienſi permutavit an. xxii Hludowici imp. (q) Hod. *Bechenheim.*

(q) *Martenii & Durandi ampliſſ. collect.* tom. 1, pag. 92.

Digitized by Google

VVIHSA. Anno III Karoli Archioltus jurnales tres in pago VVormat. in marca, quæ dicitur VVIHSA; an. VII ejusdem regis Theudolfus duos jurnales in *Wiſere* marca dedere. Manſos v Gomoldus in pago VVormac in *villa Uuiſa* a monaſterio VVeiſſenb. in beneficium tenuit (r). Inter poſſeſſionum Ruperti terminos *Wiza* flumen cum Selza & Apſſla commemoratur, a qua vicus *Wieſen*, ſuperior atque inferior, nomen accepit.

§. XIII.

Inter Wiſam & Appul,

Inter VViſam & Appulam rivos, alveo fere parallelo in Navam defluentes:

GUILEUBISHEIM. Nortbertus omnia ſua in pago VVormat. in Tribunisheim marca, & in Guileubisheim an. III Karoli regis dedit. Hod. *Bibelsheim.*

TRIBUNISHEIM cum Guileubisheim, hod. *Ibesheim.*

VVELTHISTEIN, hod. Wölſtein. Adelhardus comes, proviſor monaſterii S. Nazarii, eidem in pago Wormat. quidquid in Hagenheimer marca ad S. Maximinum pertinebat, conceſſit, bona in Gozolfesheim, Welthiſtein & Folchesheim viciſſim adeptus, an. XV Ludovici regis.

ARIBIMESHEIM, hod. *Armsheim*, Richolfus & Gutta conjuges in pago Worm. in Bingen, Aribimesheim, Wendilsheim & Laonisheim bona ſua omnia, nec non ædificium ſuum *Aliſentia* cum mancipiis quinque Laurishamenſibus dedere an. VII Karoli regis.

WENDILSHEIM. An. XV Pippini tres jurnales terræ aratoriæ & pratum in pago Wormat. in Wendilsheim Liutfridus; an. XXXVII Ludowici regis manſum in eadem marca cum omni ædificio ſuperpoſito & terræ aratoriæ jurnales LXXVIII, terræque incultæ centum Truantus & ſorores ejus Ratsuuind atque Irmindruth. An.

(r) *Eccard. Franc. orient.* tom. II, pag. 907.

Digitized by Google

An. viii Karoli *Uuindelsheim* cum Bermersheim & Gesbotsheim occurrit. Freherus ad Wendilsheim addit *in Binger-marca*, quod falſum.

Wanesheim, hod. *Wonsheim.* Hunbertus quidem varia monaſterii Weiſſenburgenſis beneficio bona in pago Wormacinſe, in villa Uuanesheim, poſſedit (*s*).

§. XIV.

Inter Appulam, Navam et Aliſentiam, quæ ſupra Crucenacum in Navam infertur: Inter Navam, Appulam & Aliſentiam.

Suaboheim. Teuthar quidquid in pago VVormat. in *Suabokeimer marca* habuit, pecuniam, veſtimenta et mancipia Laurishamenſibus legavit an. viii Karoli regis; Erkanolſus duos manſos in Suaboheim vendidit an. xxv Ludowici imp. In notitia feudorum Rhingravicorum ſeculi xii *Swabenheim* et *Sur-Swabenheim* nominantur. Illud nunc *Pfaffen-Swabenheim* dicitur; hoc ad Saluſiam eſt ſitum.

Blitersheim marca in pago VVormat. in traditione Hadamundi an. xiii Karoli regis.

Folchesheim, hod. *Volxheim*, vide ſupra in VVelthiſtein. Sub Karolo M. annos xiv regnante Gerhardus xv jurnales et unam hubeſtath in pago VVorm. in *Folckesheim* S. Nazario legaverat.

Crucenacus. Inter epiſcopatus Wirceburg. poſſeſſiones, a Carolomanno, Pippini regis fratre, acceptas, Ludovicus Pius Francofurti an. 822 confirmavit eccleſiam S. Martini in villa *Crucenacus*, in pago Wormatienſi ſitam. An. xxii ejusdem imperatoris regii palatii Ingelheimenſis exactor in eadem pagi Wormatienſis villa *Cruciniacum* varia bona permutatione accepit (*t*). Triennio poſt Ludovicus hic in *Cruciniaco palatio* confirma-

(*s*) *Breviar. rer. fiſcal. Caroli M.* ap. *Eccard.* l. c.

(*t*) *Ampliſſ. collect. Martenii* tom. 1, pag. 92.

firmavit commutationem bonorum inter abbatiam Fuld. & Bopponem comitem (*u*). *Crucenacha* inter villas ſuas indominicatas Carolus Craſſus cum Ingilenheim &c. commemorat an. 881 (*x*). Arnolfus rex villam *Crucinaham* quoque recenſet in diplomate Wirceburg. an. 889 (*y*). Pars oppidi cis Navam recentior eſt.

APFLOA. Abbatia Fuld. in provincia Wormazfeldono in villa, quæ dicitur Apfloa, et in Flanheimer marca an. 857 areas tres dono accepit (*z*). In vita S. Ruperti (*a*) poſt Navam, Selzam et Wizam, inter poſſeſſionum ejus terminos refertur *Apſſla*, hod. *Appel*, unde vico huic nomen, qui in chartis S. Maximini Trevir. *Appula*, a monaſteriolo autem, quod ibi fuit, *Münſter-Appel*, nuncupari nunc ſolet.

ALISENTIA, hod. *Alſens*, vide in Aribimesheim. Alibi villa *Aluſenza* in pago Worm. (*b*) et in charta fundationis S. Lamberti an. 977 prædium Ottonis ducis *Aleſenzum* commemoratur.

TILENTKIRICHE, hod. *Dillkirchen*. Nantharius dux inſtitutæ a ſe novæ S. Saturnini eccleſiæ circa an. 872 Tilentkiriche cum omnibus appendiciis ſuis tradidit, teſte Conradi III imp. diplomate an. 1144, quod infra producimus.

S. ALBINI villa ibidem, hod. *Sanct-Alben*.

GIBINEZBACH villam cum mancipiis utriusque ſexus idem Nantharius dux eidem eccleſiæ in pago Wormat. donavit. Nunc *Kinsbach*, villa juris Falckenſtein, prope vicum S. Albini.

ROG-

(*u*) *Eccard. orig. domus Saxon.* pag. 258.

(*x*) *Hontheim hiſt. Trevir.* t. I, pag. 219.

(*y*) *Eccard. rer. Franc.* t. II, pag. 893.

(*z*) *Tradit. Fuld.* n. 484.

(*a*) *Serrarii ſcript. rer. Mogunt.* t. I, pag. 191.

(*b*) In *breviar. rer. fiſc. Caroli M.* apud *Eccard Franc. orient.* t. II, p. 907.

Digitized by Google

ROGKENHUSON & villas, ad Rogkenhuſon pertinentes, cum *Alceja* & *Scafhuſon* Arnolfus imp. terræ ſuæ ſalicæ accenſuit an. 897 (*c*).

VUNNIVILLARE, hod. *Winweiler*. Erinfridus, pagi Bleſenſis comes, ad S. Cyriacum in Nuhuſa an. 891 tradidit in pago Wormat. villam & marcam totam, quæ dicitur *Vunnivillare*, curiam dominicalem cum ædificiis veſtitam & baſilicam unam (*d*).

ALSENZBRUNE, hod. *Alſenborn*, inter poſſeſſiones monaſterii S. Saturnini ad Dreiſam, a Nanthario duce ſec. IX acceptas.

§. XV.

Ad Lutram fluvium pago & diœceſi Wormat. ſeculo nono adſcripta fuere: Ad Lutram.

LIUTRA, quam inter villas ſuas indominicatas, in quibus nonam conlaboratus partem eccleſiæ S. Bartholomæi Francofurt. conceſſit, poſt Ingilenheim & Cruznacha Carolus Craſſus recenſet an. 881 ſq. (*e*).

NENTRISWILRE. Nantharius quoque dux novo S. Saturnini monaſterio, a ſe extructo, villam Nentriswilre & nemus ejusd. villæ tradidit.

Trans Lutram & Glanum eidem pago & diœceſi annumeratur: Trans Lutram.

Nn Qui-

(*c*) *Schannat hiſt. Worm.* t. II, p. 10.

(*d*) Ibidem.

(*e*) *Hontheim hiſt. Trevir.* tom. I, pag. 219, & *Gudenus cod. diplom. Mogunt.* tom. I, pag. 3.

Digitized by Google

QUIDERSBACH. Otto imp. monaſterio Hornbacenſi ſex manſos regales in *villa Quidersbach*, in comitatu Ottonis ducis, in pago Wormesfeldt vocato jacentes donavit (*f*).

§. XVI.

Loca ſitu incerta.

Sequuntur nunc loca, pago Wormat. diſerte quidem adſcripta, at ſitu ignota nobis, quod vel perierunt injuria temporum, vel nomen ſuum mutarunt arbitrio hominum, vel quod ipſi chartarum ſcribæ in pagi errarunt nomine.

AONENISHEIM. Amalharius anno primo Karoli regis vineam in pago Wormat. in Aonenisheim marca monaſterio Laurish. tradidit.

ASCMUNDESHEIM in pago Wormat. duæ traditiones Laurish. ſub Pipino rege collocant. Villam *Haskmundesheim* cum Dionenheim & Rodulfisheim commemorat Hludowici imp. diploma Prumienſe an. 835. Eſt in pago Rhenenſi ſuperiore infra Treburiam ad Rhenum vicus *Aſtheim*, qui forte ſedem mutavit.

BALDOLFISFELDE. Crotherus & Erleuuinus cum conjuge ſua Berchtrada ſilvam in pago Wormat. in Baldolfisfelde marca dederunt anno III & V Karoli regis. In Erleuuini traditione ſimul comparet Hulvinisheim marca.

BALDRISHEIM marca in traditione Iſenharti an. XII Karoli regis.

BERENBRUNNE. VVolfgerus & Radbaltus agros in pago VVorm. in Berenbrunnen a. XXII Karoli regis.

BIRGELEN *ſuper fluvium Renum* in pago VVormacienſi traditio Salachonis eod. anno.

COGRISHEIM jungitur cum Agridesheim anno primo Karoli regis.

FUL-

(*f*) *Croll. orig. Bipont.* t. I, pag. 63.

FULBACH. Moricho & Folcsuint conjuges in pago VVorm. in Aſchibruner & in *Fulbacchure marca* duos manſos & XX jurnales an. XXV Karoli regis. De Aſchibruno ſupra §. V.

GEBOLDESHUSUN. Fuldenſis abbatia in pago VVormac. in villa *Longarſteſheim* & in *Huſileibesheim*, & in *Geboldeshuſen* & in *Graolfesheim* terras, ſilvas, vineas, prata & mancipia plura Ediramni cujusdam liberalitate accepit an. XXXIII Karoli regis (*g*). Huſileibesheim eſt in pago Navenſi, Graolfesheim in VVormatienſi; de Longarſtash. & Geboldeshuſun dubitamus.

GAUZWINESHEIM cum Meltridesheim in pago VVormat. ponit traditio Bilifridi an. VI Karoli regis. Forte *Gomsheim* inter VViſam & Appulam.

GOZENISHEIM & *Gozinesheim* ſub Carolo M. rege una cum Quirnheim, Buxlare, Babenheim & Eberulfesheim.

LEIBERESHEIM. An. XVI Pipini VVanbertus manſum in pago VVormat. in loco Leiberesheim nuncupato, & in Gaginheim X jurnales agri & prati; an. III Karoli Richlindis, quidquid in *Leiberesheim ſuper fluvium Cherminbitzia* habebat, tradiderunt. Forte *Laubersheim* & *Gaenheim* trans Navam, adeoque in pago Navenſi.

LUBRINGOUUA locus infra (intra) Renum cum Moguntia, Nuvenheim & Gunzinheim in Fuldenſi Caroli M. diplomate.

LUDOLFESFELDE in charta venditionis Sicgerni an. XII Ludowici imp.

MAWENHEIM cum Fletersheim, Aresheim, Autersheim & Niuerheim an. VI Karoli regis, *Monuenheim* cum Flaridesheim & Albolfesheim in Ludowici Germ. diplomate Neohuſano an. 869. Eſt vel *Momenheim*, de qua ſupra (*h*), vel *Mauchenheim* ſupra Alcejam.

Nn 2 RIOM.

(*g*) *Schannat trad. Fuld.* n. 150.

(*h*) Pag. 269 init.

RIOM. Vineam in pago VVormat. in villa, quæ Riom dicitur, an. III Karoli regis Adelbrecht donavit.

SCAUENHEIM in pago VVormacenſi cum Coſla & Gleni in ſaltu Voſago Ludovicum Transrhenenſem, i. e. Germaniæ regem, eccleſiæ S. Remigii apud Remenſes reſtitui juſſiſſe, Flodoardus(*i*) tradit. In margine editor ſcripſit *Stadenheim*, quod æque ignotum. Forte *Studernheim.*

SEHEIM. Sigilech & Malboto jurnales XXXIII in pago VVormat. in *Seheimer marca* donarunt an. VI Karoli. Inſcriptio hujus traditionis habet *Seiheimer marca.*

TIDINESHEIM an. XXIII Karoli regis. Inter *Tinesheimer marcam* & *Aslaher marcam* Amalbrecht & Nandbrecht VI jurnales dederant anno X ejusd. regis.

TORNUNGA in tradit. Hildebrecht, Fartman & VVartman an. XVIII Caroli regis. In ſummariis tradit. Fuld. legitur *Tornheim.* (*k*) Pertinet forte ad Dorn-Durckheim, de quo ſupra.

VVALAHASTAT. Anno V Pippini regis Ratboldus & conjux ejus Teutsuind quidquid habuerunt in pago VVormat. in VValahaſtat S. Nazario donaverunt. Ceſſat difficultas, ſi pro pago diœceſin VVormat. admittas, in qua ſitum eſt VValſtadium, pagi Lobodun. villa.

VVESISTAT. An. XII Karoli Liutsuind in pago VVormat. in *Weſiſtater marca* manſum & jurnales XXX, octennioque poſt reliqua omnia ſua in *Waſiſtat* tradidit. *Biſeſtat* Freherus & Beſſelius præterea habent, quod in pago Rhenenſi.

VVICHSE cum Freinsheim, an. III Karoli regis. Alibi vero locus hic Spirenſi pago adſcribitur.

VVI-

(*i*) *Hiſt. Rem.* lib. III, cap. X.

(*k*) *Schannat corp. trad. Fuld.* p. 299.

Digitized by Google

VVitzun in Frittenheim (l) commemoratum, videtur eſſe *Hangen-Weisheim.*

§. XVI.

Hæc pagi VVormatienſis loca dubia ſitu. Succedunt nunc alia, quæ ad eundem pagum pertinuiſſe credimus tantum, non novimus. Freherus ea cum certis miſcuit, & ex Frehero Beſſelius. **Loca dubia.**

Anolofelde. An. xvi Pippini regis in pago VVorm. in Frimersheim manſos, campos & vineas, & in Anolofelde portionem ſilvæ Laurishamenſes acceperunt.

Chnolingen, ubi Ratbaldus jurnalem & dimidium, Hildifrid jurnales ſex, Rudolfus manſum & hubam tradiderunt.

Dagastisheim. Liutherus an. i Karoli imp. jurnales quatuor in Dagaſtisheim marca. Beſſelius conjecit eſſe Dexheim.

Eccansten & Frecanstat tradit. Laurishamenſium ſummaria habent.

Lincanheim quater commemoratur ibidem.

Regingisesfelde poſt Frimershemium, pagi VVormat. vicum, legitur. Portionem ſilvæ ibi accepit abbatia Laurish. anno xx Karoli regis. Beſſelius addit, *forte Kriegsfeld.*

Tethanheim in ſumm. tradit. Laurish. ſupra allegatis.

VVanandorph. Hiltibald & VVieltrud conjuges manſum unum & mancipium in *Wanandorpher marca* in loco nuncupato *Hildebaldeshus* cum omni collaboratu ſuo & ſupellectili auri, argenti & veſtimentorum Karolo rege.

§. XVII.

Qui ſeriem noſtram locorum pagi VVormat. cum Freheriana contulerit, illam ſeptuaginta minimum nominibus ditiorem animadvertet, quamvis in ea deſint *Arilbach*, *Devenheim*, *Fridolfesheim*, *Hasmachgowe, Mutaha, Oternheim*, *Scarra, Sunnincheim,*

 Tra-

(l) §. vii, pag. 262.

Tradinesheim, quæ vel ad alios pagos, ut Arilbach ad VVedereibam, Fridolfesheim & Mutaha ad Spirenſem, Scarra ad Lobodunenſem ſpectaſſe novimus, vel in chartis noſtris pagi VVormat. non legimus. Supplevit quidem Freherum Beſſelius, at errores quoque ejus, quod ægre dico, erroribus auxit.

Pagus VVormat. id ſingulare & difficultatis habet, quod gemina plura ejusdem nominis loca, epithetis quidem maximam partem diſtincta, ſed juniore demum ætate inventis, comprehendat. Pertinent huc duo *Albsheim*, ad Iſinam & ad Primmam: duo *Bermersheim*, alterum prope Dalsheim, alterum retro Alcejam: duo *Biſchheim*, vel Biſchofsheim, *Gau-* & *Munch-Biſchheim*: tria *Bockenheim*, majus, minus & ad lapidem, vulgo *Stein-Bockenheim*: duo *Bubenheim*, alterum ad Selſam, alterum ad Primmam: duo *Budesheim*, a piſis & raphanis cognominata: duo *Durckheim*, ad Rhenum & ad ſpinas: duo *Entzheim*, infra Dalshemium unum, alterum infra Alcejam: duo *Freimersheim*, Palatinum & Falckenſteinenſe: duo *Frieſenheim*, e regione Mannhemii ad Rhenum & infra Odernhemium ad Selſam: duo *Harxheim*, ad Iſinam & ad Steigam: duo *Heppenheim*, in pratis & in arena: duo *Köngernheim*, ad Selſam utrumque, alterum infra Odernhemium, alterum ſupra: duo *Kirchheim*, Leiningenſe & Naſſovicum: duo *Oppenheim*, quorum minus vulgo *Wisoppenheim*: duo *Schwabenheim*, ad Selſam & ad Appulam, vulgo *Sauer-* & *Pfaffen-Schwabenheim*: duo *Walheim*, *Hangen-* & *Munch-VValheim*: duo *VVeinheim*, alterum ſupra Alcejam, alterum infra Ingelhemium ad Rhenum: tria *VVeiſſenheim*, ad montem, in arena & *Hangen-VVeiſsheim*, & ſimilia alia.

§. XVIII.

Limites pagi. Meridionalis.

Veros pagi VVormatienſis limites, occidentalem præſertim, vix Oedipus definiverit. Meridionalem Godofredus Beſſelius (*m*) ad rivum Franckendal. conſtituit, Agridesheim & quatuor alia ſupra

(*m*) *Orig. Bipont.* part. 1, cap. 1.

Digitized by Google

ſupra rivum hunc loca ad VVormazgoviam pertinuiſſe non neſcius. Variant chartæ veteres in pagi nomine, Spirenſis nempe & Wormatienſis; quare conſulendi omnino ſunt diœceſis Wormat. quibus a Spirenſi ſejungitur, fines. Fines autem hi ſunt Spira torrens ad Franckenſtenium usque, diœceſis Wormat. vicum; dein rivus Durckheimenſis usque ad Durckhemium, quod maxima ſui parte ad Spirenſem, minima ad Wormat. pertinet, intermedio flumine. Hinc linea Rhenum verſus ducenda eſt, Mundenhemio & Ogershemio in pago Wormat. Mutacha vero, Ruchhemio & Fridelshemio in Spirenſi manentibus.

Ad orientem Rhenus pagum hunc, uti Spirenſem, terminavit conſtanter, alveo quantumvis inconſtanti, ita ut vicos quosdam Lobodunenſi pago, de quo ſupra, ablatos Wormatienſi adjecerit. Utramque Rheni ripam, quod nonnulli afferunt, pagum cum diœceſi confundentes, VVormazgovia nunquam occupavit. Orient.

Sed & borealis ejus limes fuit Rhenus, Mœni aquis adauctus, ubi occidentem verſus inflectitur; donec eccleſiæ Moguntinæ inſtauratione, medio ſeculo octavo facta, ſtatus hic geographicus turbaretur. Ab hac enim temporis epocha ſaulatim factum eſt, ut pleraque pagi VVormatienſis infra Oppenhemium & verſus Navam loca, diœceſi Moguntinæ ſubdita, in Moguntinis præſertim inſtrumentis, pago Navenſi adſcriberentur, qui maximam partem ad eandem diœceſim pertinet. Ita manſos ſeptem in villa *Nerſtein*, in pago *Nachgowe* & in comitatu Emichonis comitis, Otto III imp. Salſenſi Alſatiæ monaſterio an. 993 donavit; qui tamen anno ſequenti, ut infra in comitibus patebit, eandem villam in pago quoque VVormacinſe & in comitatu Burchardi poſuit, ac ſi de pagi hujus limite ipſe fuiſſet incertus. Borealis.

Limi-

Digitized by Google

Occident. Limitem occidentalem Beſſelius ad montem Jovis (*Donnersberg*) fixit. Sed Aliſentia, Vunivillare, et alia loca, quæ pago VVormatienſi vindicavimus, retro montem hunc ſita ſunt, ita ut vix Lutram terminum ejus figere auſim, ultra quem ſane Quidersbacum, ejusdem pagi et diœceſis vicus, occurrit. De montanis his Vogeſianis quum locuti ſunt veteres, raro pagum nominarunt, Vogeſum nominaſſe contenti. Infra montem Jovis Nava a Crucenaco usque in Rhenum VVormazgoviæ limes fuit ante ſec. x, quo Moguntini, uti paulo ante monuimus, ipſique horum exemplo cæſares, Nahagoviæ adſcribere cœperunt, quidquid ex pago illo ad diœceſin Mogunt. relatum fuit; quod de Gozolvesheim, Albucho et VVildiſtein ſupra oſtendimus (*n*). Adelbertus, Mogunt. archiep. in charta Hornbac. an. 1135 ita ſcribit: *Eſt igitur in noſtra dioeceſi in pago Nachowe prepoſitura, que vocatur Cella* (*o*). Cella vero hæc ad Primmam ſita eſt, adeoque in pago veteri Wormatienſi. Antea ſane univerſa cis Navam loca imo et trans Navam quædam, *Naraheim*, *Huſileibesheim*, *Longiſtisheim*, ſeu, uti nunc vocantur, Norheim, Hüffelsheim et Langlonsheim, in VVormazgovia ponuntur. Bingam et Graulſesheim in utroque, VVormat. et Navenſi, ſub Carolo M. reponi pago ſupra docuimus. Perſuadere mihi non poſſum, quod Crollio (*p*) placet, VVormatienſem pagum magnam Navenſis partem vere comprehendiſſe, ita ut certo quodam limite a ſe invicem diſcreti non eſſent. Potuit fieri, ut duo pagi unum haberent comitem, comitum jurisdictio quod a nutu principis pependit; idque cauſa ſine dubio fuit, ut pagi et comitatus ipſi inter ſe nonnunquam confunderentur, comite cum non eſſent diſtincti.

§. XIX.

(*n*) Pag. 275 init.

(*o*) *Orig. Bipont.* part. 1, pag. 125.

(*p*) Ibid. pag. 21 & 62.

Digitized by Google

§. XIX.

Incerti ſumus de veris pagi Wormat. comitibus ante ſeculum IX, non quod deficiat eorum memoria, ſed quod non diſtincta ſatis ſit aut definita. Comites pagi.

Fuldenſes qui traditiones evolverit, Leidratum comitem aream in *Mogontia*, vineam in *Deinenheim*, bonaque alia in caſtro *Pingenſe* & in villa *Thrutmaresheim*, omnia in *Wormacinſe*, abbatiæ huic ſub Pipino rege, ab an. 755 usque ad 765, aut vendidiſſe aut donaſſe leget (*q*).

VVarnherii comitis mentio fit in traditione Hiltigerni, qua manſum in civitate *Wormacia* cum caſa & ſcuria ad latus VVarnherii comitis, & in marca Wormat. jurnales octo, ubi decurrit *Iſenade*, S. Nazario obtulit an. 771.

Cuniberctum comitem an. 778 in *Sauuilenheim*, Heimericum an. 781 in *Obbenheim*, Hattonem an. 800 in *Wacchenheim*, Adelhardum an. 855 in *Welthiſtein* ſupra commemoravimus (*r*).

In Fuldenſi charta an. 804 de VII vineis in Wormacinſe acceptis Hruodpraht *comis* vineas illis finitimas habuiſſe bis legitur (*s*). Eſt is ſine dubio *Hruotbertus* comes, per quem terras, ſilvas & prata ab actore fiſci dominici in Franconoſurd monaſterio Hornbac. injuſte ablata eſſe, comperit Ludovicus Pius imp. an. 822 (*t*). Adalbertus quidam quinquennio poſt monaſterio huic vineam in Mettenheim tradidit, a cujus tertio & quarto latere erat fundus *Hruotberti* ſive *Hruotbrahti comitis*. In eodem loco Ruberti comitis filius Rubertus an. 836 Laurishamenſi abbatiæ quædam donavit (*u*).

Oo At

(*q*) *Schannat trad. Fuld.* n. 3, 7 & 23.

(*r*) §§. XII, IX, V & XIII.

(*s*) *Schannat* l. c. num. 190.

(*t*) Ap. *Croll. orig. Bip.* part. I, pag. 98.

(*u*) Supra §. VIII, pag. 265.

Digitized by Google

At prædia in pago Wormat. poſſediſſe, non ſufficit, ut eos pagi hujus comites conſtituamus. Nam & Warinus & Witegowo, Lobdengoviæ, uti alibi oſtenſum eſt (*x*), comites, ille manſum in pago Worm. in *Frimersheim* an. XIX Karoli regis, hic manſum cum vinea in *Hepphenheim*, ejusdem pagi villa, an. XXXVII Karoli (*y*), monaſterio Laurish. donaverunt.

Sed & MENGOZ comes & nepos ejus Vodo manſum in pago Wormat. in *Mettenheim* Laurishamenſibus obtulerunt an. XXXVI Ludovici regis. At Mengozum hunc ſive Megingaudum Nahgoviæ comitem pagenſem fuiſſe, aliunde novimus (*z*).

WALO. Ludovicus rex fideli cuidam ſuo Humboldo, quidquid beneficii habuit in *Alahesheim* in pago *VVormazfeld*, in *comitatu VValonis*, jure proprio poſſidendum conceſſit an. 882. Reginberto cuidam ſexennio poſt Arnolfus rex in pago *VVormazveldun*, in *comitatu VValahonis comitis*, in villa *Hoſſouua* eccleſiam cum hubis ſex donavit (*a*). Carolus Craſſus villam *Alesheim* an. 884 (*b*), & Arnolfus *Roccheshеimero marcham* an. 888 in *comitatu VVormatienſi* ſimpliciter reponunt, absque nomine comitis.

MEGINGAUDUS. Comitatum Megingaudi in pago *VVormazfelda* ejusdem Arnolfi regis diploma Fuldenſe prodit an. 889(*c*).

WERINHARIUS. Res quasdam in pagis Wormatienſi & Nachogowe, in *comitatu VVerinharii comitis*, in villa ſive marca Ingelesheim &c. Theotelachus, Wormat. epiſcopus, Erinfrido comiti in præſtariam conceſſit. Actum publice IV idus Febr. coram

(*x*) Pag. 237 ſq.

(*y*) Vid. ſupra §. VIII, pag. 260.

(*z*) Vide literas Heririci, viri illuſtris, Prumienſi monaſterio datas, apud *Martene ampliſſ. collect.* tom. 1, col. 189 ſq.

(*a*) Vide ſupra pag. 224 med.

(*b*) Supra §. VIII, pag. 265. init.

(*c*) Vide ſupra in *Thechidesheim* pag. 266.

Digitized by Google

ram Werinhario comite an. 891 (*d*). Werinharius itaque duobus pagis, Wormat. & Navenſi, tum præfuit comes.

WALAHO. Arnolfus imp. res quasdam juris ſui in *comitatu VValahonis*, in pago *VVormazfelda* ſitas, id eſt, in villis *Oppenheim*, *Horagaheim* & *VVigineshelm*, eccleſiæ Wormat. tradidit Wormatiæ an. 897 (*e*). An hic idem ſit cum ſuperiore Walone vel Walahone comes, an diverſus, ignoro.

CUNRADUS. Ludovicus rex, cognom. Infans, hobam unam cum curtilibus, ædificiis &c. in pago *VVormatienſe*, in *comitatu Cunradi*, in villa, quæ dicitur *Dinenheim*, Sigolfo monacho largitus eſt Triburiæ an. 907. Triennio ante commutatio bonorum Laurisham. facta erat Ingelhemii coram Ludouuico rege & comitibus quinque, in quibus Cunradus. Eſt is forte Conradus, qui Ludovico Infanti an. 911 in regno ſucceſſit.

WARNERIUS. Flodoardus, hiſtoriæ Remenſis medio ſeculo x ſcriptor, ſuis olim diebus, Warnerium, pagi Wormacenſis comitem, res S. Remigii in Voſago ſitas invaſiſſe, regemque Conradum abbatiæ Remigianæ deinceps reſtituiſſe narrat (*f*). Warnerius itaque ſive Wernherus ſub Conrado rege VVormazgoviæ præfuit. An. 910 poſt Ditolfum & Einhartum, VVormat. & Spir. epiſcopos, *VVerinherus comes* & Liutfridus comes, ille ſine dubio VVormatienſis, hic Lobodun. chartam Hattonis, archiep. Mogunt. in palatio Triburienſi teſtes ſignarunt coram Ludewico rege (*g*). Secundum Crollium (*h*) VVernherus hic VValahonis,

(*d*) *Schannati hiſt. Wormat.* tom. II, pag. 10, ex *Caſp. Lerch de ord. equeſtr.* in *Burgermeiſteri biblioth. equ.* tom. I, pag. 43.

(*e*) Vide pag. 248 fin.

(*f*) *Hiſt. Rem.* lib. II, cap. 2, pag. 115 ſq.

(*g*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 549.

(*h*) *Orig. Bipont.* part. I, pag. 112.

qui præcedit, ex fratre nepos fuit, ſimulque Spirigoviæ comes, pater Conradi VVormacenſis, qui ſequitur. Sed & acta VVerinharii, quæ ante VValahonem retulimus, & quæ de VVarnerio nunc diximus, idem doctiſſimus ſcriptor in unum conjecit. Verum enimvero cum intermedii ſint duo comites alii, VValaho & Cunradus, diſtinguenda omnino nobis videntur priora a poſterioribus, ita ut illa VVerinhario patri, qui an. 900 cameræ nuncius in Francia obiit, hæc VVerinhero filio tribuantur.

CUNRADUS *filius VVerinheri* diſerte ſcribitur in Reginonis continuat. ad an. 943, quo Ottoni, Lotharingiæ duci, ſucceſſit, poſtquam patri in comitatu ſucceſſiſſet VVormatienſi & Navenſi. *Comitatum Chunradi* in *VVormazgowe* ſeu in *VVormazfelde* ex chartis Fuldenſibus an. 932 ſupra in *Abunheim* (*i*) indicavimus. *Niuunchiriha*, (Neunkirchen) in pago *Nahgouue*, in foreſto *Uuaſago*, in *comitatu Cuonradi* diplomata Ottonis I ponunt an. 942 (*k*) & 945 (*l*). Hadamar, abbas Fuld. Emichoni cuidam, *Cuonradi comitis vaſallo*, in *Horegeheim*, pagi VVormat. loco, quinque huobas cum curtilibus, ad eas pertinentibus, mancipia quinque & terræ ſalicæ jugera LVI an. 940 in Ingelenheim tradidit, præſente Cuonrato comite (*m*). Alius Cuonrati comitis vaſallus, Ebo, advocatus S. Mariæ, abbatiæ Fuld. triginta mancipia donavit (*n*).

Fuit ergo Conradus hic prædiis ad Rhenum dives, ex comite Lotharingiæ dux, & regis Germ. Ottonis I gener. Donationem *Kuonradi ducis*, res proprietatis ſuæ, ſitas in pago Spirenſe, in villa & marca Didenesheim, eccleſiæ VVormat. in eleemoſynam Liutgardæ uxoris, regis filiæ, tradentis, idem Otto rex an.

(*i*) §. VI, pag. 256 init.

(*k*) Ap. *Schannat hiſt. VVormat.* tom. II, pag. 18.

(*l*) *Martene ampliſſ. collect.* tom. I, col. 285.

(*m*) *Schannat. corp. trad. Fuld.* n. 573.

(*n*) Ibid. num. 577.

Digitized by Google

an. 952 confirmavit (*o*). Res eccleſiæ ſuæ in Voſago & in pago VVormat. Artaldus Remenſis Conrado duci, hic Regimbaldo cuidam lege procul dubio feudali commiſerat, quum Conradus, miraculo quodam admonitus, easdem eccleſiæ iſti reſtituit (*p*).

OTTO, Conradi ſuperioris filius. Comitatum *Ottonis*, *filii Cuonradi ducis*, in pago *Nahgouue*, Ottonis M. diploma VVormat. an. 956 prodit (*q*). Comitatus vero hujus Ottonis in pago VVormat. paulo obſcurior eſt. Communicavit nobiſcum ex ſchedis avi ſui, Georgii Chriſtiani Joannis, digniſſimus nepos, Georg. Chriſt. Crollius, fragmentum diplomatis, quo & ipſe jam uſus eſt (*r*), quodque Ottonem imp. interventu æquivoci ac fidelis ſui *Ottonis*, *Carrentinorum videlicet ducis*, ad eccleſiam S. Pirminii in Hornbach proprietatis ſuæ manſos regales ſex, in villa *Quidersbach*, *in comitatu ipſius praefati Ottonis & in pago VVormesfeldt* jacentes, tradidiſſe nos docet. Deſideratur donationis annus. Nolo eam cum Crollio Ottoni I tribuere, quo vivo Carinthiæ ducatus nondum innotuit. Nam prima Carinthiæ ducis memoria occurrit an. 977, adeoque ſub Ottone II imp. ut ill. Schœpflinus (*s*) obſervavit. Antea Otto noſter aut ſimpliciter *dux*, aut *dux Francorum*, aut Otto *VVormatienſis*, *Vurmacenſis* appellabatur (*t*). Sed & comitatum Spirigoviæ idem Otto adminiſtravit an. 982 (*u*), ita ut tribus pagis ſimul præfuiſſe videatur, quos Otto II imp. a ſe invicem probe diſtinguit, abbatiæ S. Maximini quum anno

 974

(*o*) *Schannat hiſt. Wormat.* tom. II, num. 22.

(*p*) *Flodoardus hiſt. Rem.* lib. II, cap. 2.

(*q*) *Schannat hiſt. Wormat.* tom. II, ad h. an.

(*r*) *Orig. Bipont.* part. I, pag. 63.

(*s*) *Hiſt. Zaringo-Bad.* tom. I, pag. 46.

(*t*) Ejusd. *Alſat. illuſtr.* tom. II, pag. 603.

(*u*) Ibidem pag. 606.

974 reddidit, quidquid in *pago & in comitatu Nahegowe*, in *pago & in comitatu Wormacenſi*, & *in pago & in comitatu Spirenſi* habuit (*x*).

BURCHARDUS. Curtem Nerſtein, in pago *Wormacinſi* & in *comitatu Burchardi comitis* ſitam, ut & curtem Ulmena, in eodem pago & comitatu, eccleſiæ Moguntinæ, cui Uta, Ludovici Infantis mater, eas tradiderat, Otto III imp. reſtitui juſſit an. 994 (*y*). Eandem villam Nerſtein eundem cæſarem anno præcedenti in pago *Nachgouue* & in *comitatu Emichonis comitis* collocaſſe, ſupra annotavimus (*z*), manifeſtum turbatæ infra Oppenhemium geographiæ indicium, cum Nierſteinium antiquo jure ad VVormat. pagum, novo, propter diœceſin Moguntinam, ad Navenſem referretur.

ZEIZOLFUS. Henricus II rex Germ. abbatiæ Laurisham. jus dedit habendi mercatum in loco ſuo *Oppenheim* dicto, & in pago *Wormesveld*, in *comitatu* vero *Zeizolfi* comitis ſito an. 1008. Actum Treviris pridie nonas Novembris.

Definit hic noſtra comitum pagi VVormat. ſeries. Occurrunt deinceps civitatum, VVormatiæ & Moguntiæ, comites, diverſi a pagenſibus, de quibus nos agimus. *Arnoldus comes civitatis* Mogunt. literas Adelberti archiep. an. 1135 inter liberos teſtis ſignavit (*a*). *Wernherus civitatis* VVormat. *comes* comparet an. 1106 (*b*), & in *comitatu praefecturae civitatis* ſuæ villam Crigesheim Burchardus epiſcopus VVormat. ponit an. 1137 (*c*). Fuerunt tamen & deinceps comites pagenſes, ſed nobis parum cogniti.

(*x*) *Martene ampliſſ. collect.* tom. I, col. 325.

(*y*) *Guden. cod. diplom.* tom. I, num. 134, pag. 367.

(*z*) Pag. 287.

(*a*) *Croll. orig. Bipont.* pag. 126.

(*b*) *Schannat hiſt. Wormat.* tom. II, pag. 61.

(*c*) Ibid. pag. 68.

Digitized by Google

niti. Prædium in *epiſcopatu Wormat.* in *comitatu comitis Emichonis de Liningen,* videlicet xv manſos, in villis *Gimminsheim, Dinninheim, Ulfersheim* ſitos, Burchardi epiſc. argent. charta habet an. 1160 (*d*). Judicii provincialis & Landgraviatus, feudi Electoratus Palatini, Leiningæ comitibus collati, memoria & uſus ad ſeculum xv usque ſuperfuit; qua de re alio loco & tempore.

Addimus nunc inſtrumenta duo, nondum edita, quæ ad pagum noſtrum VVormat. proxime ſpectant. Laurishamenſia, quibus plurimum debemus, ſingulari volumine prodibunt aliquando in lucem.

Charta donationis Adalberti, monaſterio Hornbacenſi factae an. 827.

In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Licet parva & exigua ſunt, quæ pro immenſis peccatis & debitis offerimus, tamen pius dominus noſter Jeſus Chriſtus non quantitatem muneris ſed devocionem animi perſpicit offerentis ideoque ego in Dei nomine Adalbertus ſana mente ſanoque conſilio pro peccatis meis ut in futuro veniam aliquam promerire merear dono atque trado ad monaſterium quod vocatur *Hornbach* ſive *Gamundias* & eſt in honorem ſanctæ Mariæ & ſancti Petri atque ſancti Perminii ubi vir venerabilis Wyrundus abbas præeſſe videtur hoc eſt quod dono in pago *Wormacinſe* in villa quæ dicitur *Heſinloch* curtem unum dominicatum cum aliis areis duabus ſervilibus inſimul jacentibus ab una latere habet dominus imperator ab alia latere eſt campus tertia latere ſancti Nazarii quarta latere habet Ruodrat quinta latere eſt via, ſimiliter dono in eadem villa aream unam de ipſa area eſt ab una latere ſancti Nazarii ab alia latere intrat in aqua tertia latere eſt via publica & dono inter ipſa marcha & *Dittilesheimaru marcu* atque *Thuringheimaru marcu* quidquid ibidem proprietatis viſus

Ex apographo

(*d*) Ibidem pag. 90.

viſus ſum habere in areis edificiis terris araturiis vineis campis ſilvis pratis paſcuis aquis aquarumve decurſibus cum omni integritate, ſimiliterque dono in *Mettenheymaru marcu* vineam unam de ipſa vinea eſt ab una latere Iſanhardi,ab alia latere habet dom. imp. tertia latere eſt *Hruotbert* comes quarta latere habet iterum Hruotbraht & dono mancipia quinque hiis nominibus VVacfrid & uxor ejus Theotrud Horsgolff & conjunx ejus VVilligart cum uno infante nomine Zilarat cum omni elaboratu eorum. In ea vero racione dono ut dum ego advixero ipſam ſupraſcriptam rem habeam in beneficium excepto illum curtem dominicatum. Ita duntaxat habeam ego in præſtariam de ipſis rebus ſupradicti monaſterii ſicut inter nos complacuit atque convenit. Id eſt in *Heſinlochuru marcu* de terra arabile jurnales XXX & annis ſingulis de vino carradas II & ad cenſum donare faciam annis ſingulis ad feſtivitatem ſancti Remedii denarios II poſt vero de hac luce diſceſſum meum tam hoc quod ego tradidi quam ego a vobis accepi cum omni re meliorata ad ipſum monaſterium revertatur ſine ullo præjudicio. Si quis vero quod fieri non credo ſi ego ipſe ut abſit aut aliquis de heredibus meis vel proheredibus meis vel quislibet alia oppoſita perſona qui contra hanc cartulam donacionis venire aut eam infrangere voluerit in primis iram Dei omnipotentis incurrat & omnium ſanctorum & quod repetit evendicare non valeat ſed præſens donacio hæc omni tempore firma & ſtabilis permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Facta cartula donacionis hæc ſub die IIII kal. Decembris anno quarto decimo regnante domino noſtro Hludowico glorioſiſſimo imperatore. Actum in villa *Heſinloch* coram iſtis teſtibus inferius ſcriptis. Signum Adalberti qui hanc cartulam donacionis fieri atque firmare rogavit. Signum Erkenberti. Signum Bernin. Signum Hruodrihi. Signum Frehhulfi. Signum Emharii. Signum Folcberti. Sign. Hruodingi. Sign. Bernharii. Sign. VVaningi. Sign. Hermarii. Sign. Folcmanni. Sign. Hruodradi. Sign. Gerwini. Sign. Buobilini. Ego Starcharius indignus presbiter rogatus ſcripſi & notavi diem & tempus quo ſupra.

Con-

Digitized by Google

Conradi II imp. diploma de inſtauratione eccleſiae Monaſterienſis, a Nanthario duce olim fundatae, datum an. 1144.

In nomine ſanctæ & individuæ trinitatis Cuonradus divina favente clemencia Romanorum rex ſecundus. Religioſorum petitionibus aurem pietatis accommodare & quæ ad Dei cultum pertinent ſummo benivolenciæ ſtudio promovere regiæ liberalitatis eſt. cujus honor judicium diligit. unde in æterna vita condignam bonæ mercedis retributionem & in temporalis regni adminiſtratione gloriam nobis accreſcere confidimus. Eapropter omnium tam futurorum quam præſentium noverit induſtria. quod vir illuſtris *Fridericus* noſter germanus *dux Sueviae & Alſaciae* noſtram celſitudinem adiens. petiit quatenus æccleſiam quandam a *Nanthario quondam duce* & uxore ipſius *Chunigunt* in honorem Dei & domini noſtri Jeſu Chriſti & ſancti Saturnini martiris ædificatam. congruisque ſanctimonialium & Deo devotarum feminarum diſciplinis ordinatam. ſed jam longis retro temporibus ab omni cultu divino & Deo ſervientium frequentia deſtitutam tandemque ad ſuæ dominationis *provintialisque comitis Theoderici* poteſtatem devolutam. in priſtinum ſuæ dignitatis & religionis robur. per noſtram regiam auctoritatem revocaremus. Itaque ex ejus petitione & conſenſu eandem æccleſiam *ſancti Saturnini in pago Wormatienſi tunc. in epiſcopatu Moguntino* ſitam nunc (*e*) commiſimus regendam & ordinandam *Luodewico comiti de Arneſtein*, & fratribus apud *Arneſtein* qui ſub canonica beati Auguſtini regula & ordine Premonſtratenſi congregati ſunt. ea ratione ut deinceps in omni cura & ordine præfato loco abſque ullius perſonæ contradictione provideant. Poſſeſſiones vero & prædia quas præfatus *Nantharius* & uxor ejus prædicto venerabili loco tradiderunt. ad uſum & ſuſten-

Ex autographo.

Pp

(*e*) Egregia verba roborandæ noſtræ ſententiæ de pago Wormatienſi ab archiepiſcopatu Mogunt. paulatim coarctato, qua de re ſupra p. 287 ſq.

Digitized by Google

ſtentationem Deo ibidem ſervientium per præſentis paginæ auctoritatem prænominatæ æccleſiæ & ipſius proviſoribus omni cum integritate reſtituimus. ac perpetua ſtabilitate confirmamus. videlicet in villa & in marca quæ dicitur *Dreiſa*. manſos. XVIII. cum omnibus ædificiis & utriusque ſexus mancipiis. In villa *Albesheim* manſos. II. In villa *Dakenheim* manſos. III. In villa *Bizzrihesheim*. quicquit poſſederunt. In villa *Elmuotesheim* manſos. II. In villa *Enſlitheim* manſos. III. In villa *Munnesheim* manſum. I. In villa *ſancti Albini* ſolvens ſolidos. X. In villa *Muterſtat* manſum. I. In villa *Munzenheim* manſum. I. Similiter in villa *Seleza* curtem dominicalem cum omnibus ædificiis & mancipiis. & manſos. XX. Villam quoque *Gibinezbach* cum mancipiis utriusque ſexus. & monaſterium quod in civitate Mogontia eſt. cum omnibus ſuis appendiciis quæ ſubſcripta ſunt. Manſi. XXII. & vineæ ad carratas vini. XXX. ſimiliter villam *Nentriswilre*. & nemus ejusdem villæ. Et *Tilentkiriche* cum omnibus appendiciis ſuis. *Alſenzbrunne*. manſos. II. Ea etiam bona quæ *Beatrix* & *Mahtildis Marcioniſſae Tuſciae* pro animabus ſuis& maritorum ſuorum. *Gotefridi* & *Bonifacii*. admonente *comiteFriderico* nepote noſtro atque præpoſito præfatæ eccleſiæ *Anshelmo*. ad idem monaſterium contulerunt. Nos quoque petitione & conſenſu ſepedicti ducis. ad eundem locum reſtituimus & confirmamus. omnia videlicet quæ præfatæ nobiliſſimæ feminæ poſſederunt. in loco qui dicitur *Steten*. ſcilicet XV. manſos. perſolventes quotannis V. ſolidos minus quam IIII libras. & tres manſos dominicales. inſuper æccleſiam & omnem decimam. familiam ſcilicet utriusque ſexus reditus & vectigalia. & granum quod perſolvitur de ſilva. cum omni juſticia. & compoſitione ſua. & ea omnia quæ habuerunt in loco *Waleswilre*: tam in ſilva & pratis & plauſtro. quod perſolvitur de montanis. quam in omnibus pertinentiis. Hæc omnia. quæ a prænominatis perſonis ad ſepe dictum venerabile monaſterium collata tradita ſunt. ſub ea rationis firmitate renovando confirmamus. quatennus eædem poſſeſſiones ab omni tam præfati germani noſtri *ducis Friderici. provintialisque comitis*

Theo-

Digitized by Google

Theoderici de inferiori parte Alſacie. quam aliarum poteſtatum comitum videlicet & vicecomitum atque advocatorum ditione et poteſtate ſint liberæ. et a cuncta exactione ſeu vexatione immunes. eis tantum debitæ penſionis ſummam exhibentes. et de omni legum compoſitione ſubjacentes qui pro tempore ipſi monaſterio ordine canonico præfuerint. Concedimus autem tam præſcriptas poſſeſſiones quam eas quæ in futurum ibidem fratres Deo ſervientes juſtis modis acquiſierint proprium ſuæ libertatis jus obtinere: nullo eos prohibente uti et frui quæſitis et acquirendis viis et inviis. paſcuis. ſilvis. aquis. aquarumque decurſibus. piſcationibus. venationibus. molendinis. et omni fructu. qui ex eisdem poſſeſſionibus in omne tam futurum quam præſens tempus capi poterit. Si quis vero quod abſit hanc noſtram confirmationem infringere temptaverit. centum libras auri puriſſimi componat. quarum partem dimidiam cameræ noſtræ. reliquam vero præſatæ eccleſiæ *Monaſterienſi* perſolvat. Ut autem hæc pagina firma et inconvulſa omni deinceps tempore permaneat. quam juxta tenorem privilegii *Luodewici regis ſcdi.* qui temporibus *Nantharii ducis*, in orientali Francia XXXII annis regnaverat. conſcribi mandavimus. ſigilli noſtri impreſſione eam inſigniri juſſimus. manuque propria ut infra videtur corroborantes. qui præſentes aderant teſtes ſubter notari fecimus. Quorum nomina hæc ſunt. Fridericus Magdburg. archieps. Bucco Wormatienſis eps. Sigefridus Spirens. eps. Imbrico VVirzb. eps. Egilbertus Babenbergenſis eps. Heinricus Marcrenſis eps. Vtto Cicenſis eps. Otto Friſingens. eps. VVicgerus Brandeburg. eps. Heinricus Ratiſpon. eps. Abbas Stabulinenſis. Cuonradus præpoſitus ſereniſſ. regis. Adelbertus Marchio de Saxonia. Marchio Cuonrad de VVitin. Marchio Dioboldus de Bawaria. Godefridus provintialis comes de Thuringia. Rapoto comes de Abinberc. Boppo comes de Louſe. Adolfus comes de Berge. et ſilius ejus Eberhardus. Otto comes de Rineke. Otto palatinus comes de VVitlingesbach. Et alii tam clerici quam laici qui interſuerunt.

Digitized by Google

Signum domini Cuonradi Romanorum regis ſecundi. Ego Arnoldus cancellarius vice Heinrici Moguntini archiepiſc. et archicancellarii recognovi. Anno dominicæ incarn. M. C. XLIIII. indict. VI. regnante Cuonrado Romanorum rege II. anno vero regni ejus VII. data apud Babenberg in Criſto feliciter. Amen.

DISSERTATIO

De Caeſareo Ingelheimenſi Palatio.

Auctor

Jo. Dan. Schoepflinus.

Introitus. In Rhenanis Galliæ veteris partibus, in mediæ ætatis Wormatienſium pago, Ingelhemia duo noſtra ætas cognoſcit, ſuperius atque inferius; quorum illud mediocre oppidum, hoc inſignis eſt vicus. Vico adſitum olim fuit cæſareum palatium, ab aliquot ſeculis in ruderibus jacens. Oppidum antiquius palatio eſt. Palatium antiquius eſt vico, qui pedetentim fuit adſtructus palatio, quod ab oppido nomen ſuum accepit. A Ruperti imp. temporibus Ingelhemia hæc inter electoratus Palatini referuntur dominia, unde academiæ Palatinæ naſcenti de Ingelhemio, imperii Francici et cæſarum Germanicorum palatio, nobile diſſerendi argumentum exſurgit; cujus præcipua capita ex ipſis hiſtoriarum fontibus ſumus expoſituri.


Germania vetus urbes ignoravit & oppida. Franci ex Germania in Galliam, oppidis & urbibus conſitam, victores transgreſſi, impatientes moeniorum, regibus ſuis extra muros civitatum exſtruxerunt palatia, ut liberius viverent; ſilvis quoque vicini; venationis amantes.

Clo-

Digitized by Google

A

I



IV



Weis ſc.

quæſtoria.

lumnarum palatii.

Clodoveus M. Gallia domita, apud Lutetiam Pariſiorum, inſulis Sequanæ tum incluſam, habitavit; extra muros in colle, ubi San-Genovevianam palatio adſtruxit baſilicam, in qua ſepultus. Filius ejus Childebertus, Pariſiorum rex, in palatio thermarum extra urbem, ubi Julianus imperator olim habitaverat, commoratus eſt (*f*). Idem de Aurelianenſi, Turonenſi, Sueſſionenſi, Metenſi, Argentoratenſi, aliisque multis regum Merovingorum palatiis dixeris. Hæc extra civitates ſteterunt, quæ tum modicæ omnes; ſubſequentibus ſeculis in magnas pedetentim urbes converſæ.

Præter palatia regiæ quoque curtes per provincias paſſim exſtructæ fuerunt; cujus generis ſex & forte plures apud Alſatos reperimus (*g*). Per ſiniſtram Rheni ripam ſi deſcendas Argentorato, Nemetenſe, Wormatienſe, Moguntiacenſe, Antonacenſe & Aquisgranenſe, Merovingica reperies palatia.

Caroli M. pater & avus ex Haſpanio Brabantiæ pago progreſſi, ad utramque Moſæ ripam Heriſtallii & Jopilæ, haud procul Leodio, exſtruxerunt palatia, quorum rudera hodieque conſpicimus.

Carolus regni ſui ſedem a Moſa promovit ad Rhenum; in cujus vicinia duo nova a fundamentis exſtruxit palatia, ut Eginhardus nos docet (*h*); alterum in pago Vangionum (*Wormsgau*) tribus leucis Moguntia (*i*); alterum ad Vahalim, quæ pars Rheni eſt, prope Neomagum agri Batavici, Geldriæ caput. Ex duobus his palatiis, Carolus, Francorum monarcha, ſuperiori & inferiori Rheno invigilavit. Palatia a Carolo M. condita.

(*f*) *San-Germanus* in diſſert. *de palatiis regiis*, apud *Mabillon de re diplom.* pag. 305.

(*g*) *Alſatiae illuſtr.* tom. 1, pag. 689 ſqq.

(*h*) *Vita Caroli M.* Cap. 17.

(*i*) Eginhardus in annal. Ingelhemium vocat *ſuburbium Moguntinum.*

Digitized by Google

Cuſtodia Rheni opus erat bellatori, qui libertati Saxonum inſidiatus eſt. Hi enim ad Rhenum usque ſe extenderant; ſucceſſores Francorum, in Galliam transeuntium; in Oſtphalos Weſtphalosque diviſi.

Ingelheimenſe. Ingelheimenſe, de quo diſſerimus, palatium præ omnibus Francici imperii palatiis Carolus M. amavit, ornavit atque juvenis inhabitavit.

Situs ejus omnium Rheni regionum haud dubie amœniſſimus eſt; vitæ deliciis plenus & abundans. Rhingovia, ſuis vitibus (*k*), quas Carolus plantaſſe videtur, ſuperbiens, amphitheatri inſtar palatio ſpectandam ſe offert, ubi Cereris, Bacchi & Pomonæ certamen.

Nomen ejus in chartis & in ſcriptoribus exprimitur varie. Eginhardus, Caroli M. cancellarius, palatium *Ingelheim* vocat. Ludovicus Pius in diplomatibus (*l*) *Engilonheim* & *Hingilinheim*; Frodoardus *Engulenheim*, alii *Ingilenheim*, *Ingolunheim*, *Ingilenga* appellant. Ab Ingelio quodam, origine Germano, homine ingenuo & libero, qui domicilium ibi fixerat & ſedem fortunarum, loco forte inditum eſt nomen.

Tempus exſtructionis. Ingelhemiani palatii exſtructionis tempus præter propter divinamus. Pipinus Brevis an. 768 obiit. Monarchia inter filios Carolum & Carolomannum diviſa. In diviſione provinciarum hiſtorici variant; præcipue circa Auſtraſiam, quam Carolomanno multi transſcribunt. Rhenenſem tamen ejus partem Carolus posſedit. Synodum enim Wormatiæ, natalem Domini Moguntiæ

an.

(*k*) Probus imp. verſus an. 282 Gallis permiſit, ut vites haberent & vinum conficerent, teſte Vopiſco. Rhingovia in Germanico ſolo poſita ſi privilegio hoc uſa, Carolus M. vites perfecit.

(*l*) In charta Wirceburgenſis eccleſiæ an. 822, & in alia an. 835.

Digitized by Google

an. 770 celebravit (*m*), Carolomanno vivente, qui nonniſi anno ſequente in Salmonciaco villa (*n*) deceſſit; a quo tempore Carolus ſolus Francicum omne imperium rexit.

Triennio poſt Carolus, ſecundum Saxonibus indicturus bellum, imperii ſui proceres in palatio hoc convocavit, indeque exercitum ſuum contra Saxones duxit (*o*). Unde Ingelheimenſe palatium inter annos 768 & 774 conſtructum eſſe, non ſine ratione colligimus.

Magnitudine illud & mole, ambulacris, porticibus, oſtiis, columnis marmoreis, anaglypho opere, picturis, aulæis & ſuppellectile omnia Merovingorum & Carolingorum palatia ſuperavit. Splendorem ejus Eginhardus nonniſi generatim commendat. At Ermoldus Nigellus, Anianenſis monaſterii regulæ Benedictinæ abbas, qui palatium ipſe vidit, aliquas ejus partes, ſpeciatim picturas, uberius deſcribit in vita Ludovici Pii, quam verſibus latinis quatuor libris compoſuit Argentorati; in quam urbem eum relegaverat Cæſar, filiorum rebellantium partibus quod forte adhæſit (*p*). De palatii ſtructura ita canit: Deſcriptio ejus.

Eſt locus ille ſitus rapidi prope flumina Rheni,
Ornatus variis cultibus & dapibus.
Quo domus alta patet centum perfixa columnis,
Quo reditus varii, tectaque multimoda,
Mille aditus, reditus, millenaque clauſtra domorum,
Acta magiſtrorum artificumque manu.

De

(*m*) *Annales Loiſeliani* ad an. 770 apud *Chesnium* t. II, pag. 28, & *Eginhardi annales* ibidem p. 238.

(*n*) Hodie *Samouſy*. Vicus prope Laudunum, in Inſula Franciæ.

(*o*) *Annales Francor.* apud *Ducheſne* tom. II, pag. 29.

(*p*) Nigellum ex autographo bibliothecæ cæſareæ Vindobonenſis primus edidit *Muratorius* in *ſcriptor. rer. Italicar.* tom. II, part. 2, & ex eo *Menckenius ſcriptorum rer. Germ.* tom. I, pag. 881.

Digitized by Google

De Baſilicæ ſtructura:

Templa Dei ſummo conſtant operata metallo,
Aerati poſtes, aurea oſtiola.
Inclita geſta Dei, ſeries memoranda virorum,
Pictura inſigni quo relegenda patent.

Longo dein ordine imagines pictas ab ipſis originibus mundi ad reſurrectionem usque Chriſti poëta exponit. Baſilicæ ſiniſtra veteris teſtamenti hiſtoriam, dextra novi repræſentavit. Picturæ palatii autem, præter mythologica varia, res geſtas Cyri, Romuli, Alexandri, Hannibalis, Romanorum cæſarum, Conſtantini, Theodoſii, ut & regum Franciæ, ipſaque Caroli & patris ejus avique facta exhibuerunt. Poſt Nigellum anonymus poëta Saxo (*q*), qui ſub Arnolpho imperatore vitam Caroli M elegiaco carmine libris quinque deſcripſit, de Ingelhemiano palatio hæc canit:

Ingelenhem dictus locus eſt, ubi condidit aulam,
Aetas cui vidit noſtra parem minime.
Ad quæ marmoreas præſtabat Roma columnas,
Quasdam præcipuas pulcra Ravenna dedit.
De tam longinqua potuit regione poteſtas
Illius ornatum, Francia, ferre tibi.

Columnæ Romanæ & Ravennat.

Cognoſcimus hinc, Carolum Magnum ad ornandum Ingelheimenſe palatium Roma & Ravenna transtuliſſe non opera modo muſiva, marmora & alia ornamenta, ſed & marmoreas varii ordinis columnas. Scripſit eum in finem ad Hadrianum pontificem, Ravennatenſis exarchatus poſſeſſorem, quem Pipinus an. 756 Aiſtulpho, Longobardorum regi, ereptum Stephano III pontifici dederat, & Carolus Hadriano I confirmaverat. Literæ Caroli ad Hadrianum perierunt. At Hadriani ad Carolum lite-

(*q*) In *Leibnit. ſcriptor. rer. Brunſvic.* tom. 1, pag. 166.

literæ ſuperſunt (*r*); in quibus ille ita ſcribit: „ Regalis poten„ tiæ veſtræ per Arvinum ducem ſuſcepimus apices, in quibus re„ ferebatur, quod palatii Ravennatis civitatis muſiva atque mar„ mora, ceteraque exempla tam in ſtrato, quamque in parietibus „ ſita, vobis tribueremus. Nos quippe libenti animo & puro „ corde, cum nimio amore veſtræ excellentiæ tribuimus effe„ ctum, & tam marmora quamque moſivum ceteraque exempla „ de eodem palatio vobis concedimus auferenda.

Literas has Cennius (*s*) ad an. 784 refert, & Aquisgranenſi baſilicæ ornandæ Carolum columnas & marmora ab Hadriano petiiſſe arbitratur. Enimvero de Aquisgranenſi baſilica aperte teſtatur Eginhardus (*t*), quod Roma & Ravenna Carolus columnas & marmora devehendas curaverit. Quum autem Ingelhemianum quoque palatium columnis & marmoribus, Roma Ravennaque petitis, ornatum fuiſſe diſerte teſtetur anonymus Saxo, conciliandi ſunt teſtes, atque ſtatuendum, ad utriusque ædificii ſtructuram diverſis temporibus Carolum ab Hadriano accepiſſe ornamenta.

Ex centum illis Ingelheimenſibus columnis, quas vidit Nigellus, Hiſpani, in bello tricennali Germanico Palatinatus poſſeſſores, duas reſtaurarunt. Stant illæ ad viam, in aditu eccleſiæ, cum ſubjuncta inſcriptione (*u*). **Superſtites.**

Qq Phi-

(*r*) *Bouqueti ſcriptores rer. Francicar.* tom. v, pag. 582.

(*s*) *Codex Carolinus* a *Cajetano Cennio* Romæ editus 1760, pag. 439.

(*t*) *Vita Caroli M.* Cap. 26.

(*u*) Inſcriptio his verbis concepta: *Vor 800 Jahren iſt dieſer Saal des Kayſers Carlen, nach ihme Ludwig des milden, Kayſers Carlen Sohn, im Jahr 1044 aber Kayſer Henrichs, und im Jahr 1360 Kayſers Carlen, Königs in Böhmen, Pallaſt geweſen. Und hat Kayſer Carlen der groſe neben anderen gegoſſenen Seylen dieſe Seyl aus Italia von Ra-*

Digitized by Google

Philippi Ingenui, electoris Palatini, ævo ſupererant plures, quas ille Heidelbergam in arcem ſuam juſſit transferri, ut Munſterus, qui eas viderat, nos docet. Sed quo fato, quo tempore & illæ diſparuerint, nobis non liquet. Ordinis Romani fuiſſe,
Tab. I. num. IV. capitula, quæ tabula noſtra prima exhibemus, tria, in quæſtoria domo adhuc reſidua, nobis perſuadent.

Columnas has non ſculptas, ſed modulo infuſas fuiſſe, elector & Hiſpani, qui duas ſuperſtites reſtauraverant, ut & Munſterus, crediderunt. Non nova hæc, ſed vetus opinio, quæ apud Gallos meridionales hodieque obtinet. Nemauſenſes & Arelatenſes incolæ immanes illas lapidum moles in amphitheatrorum ſuorum ruderibus, cum peregrinantibus oſtendunt, fuſas eſſe ſubjungunt. At lapidum & columnarum fuſionem nec antiquitas prodit, nec indoles columnarum agnoſcit. Sculpturam omnia produnt & ſcalprum.

Baſilica Baſilicæ Ingelheimenſi, palatio adſtructæ, patronus fuit S. Remigius, Francorum apoſtolus, qui Clodoveum regem Chriſtianis ſacris an. 469 initiavit. Eidem dedicata fuerat Ingelhemii ſuperioris eccleſia, quam cum Neriſteinenſi, Cruciniacenſi, Umſtadienſi, aliisque permultis, Willibrordi & Bonifacii cura nuper exſtructis, Burcardo Wirceburgenſi Epiſcopo ſecundo, ſucceſſori Kiliani, Carolomannus, Pipini Brevis ſenior frater, Auſtraſiæ princeps, ſubjecerat (x).


Unde

Ravenna anhero in dieſen Pallaſt führen laſſen, welche man bey Regierung Kayſer Ferdinand des zweyten und Königs in Hiſpanien Philipp des vierten, auch derer verordneter hochlöbl. Regierung in der untern Pfalz den 6 Aprilis anno 1628. als Catholiſcher Glauben wiederumb eingeführt worden iſt, aufgerichtet.


(x) Cellulas has & baſilicas Ludovicus Pius atque Arnulphus in chartis an. 823 & 889 datis enarrant, ap. *Eckhart rer. Francicar.* tom. 1, pag.

Digitized by Google

INGELHEMIANA ECCLESIA
Caroli 4 Imp.



ICHNOGRAPHIA
Ecclesiae.



Digitized by Google

Digitized by Google

CENOTAPHIVM HILDEGARDIS

Vxoris Caroli M.



5. Pedum long.

Digitized by Google

CENOTAPHIVM HILDEGARDIS

Vxoris Caroli M.



5. Pedum long.

Digitized by Google

Digitized by Google

Unde Ingelheimenſis baſilicæ, in Moguntiacenſi licet conſtitutæ diœceſi, parochum Wirciburgenſem epiſcopum Carolus M. conſtituit & baſilicæ ſuæ patronum eundem dedit, quem Ingelheimenſes jam ante palatium conſtitutum habuerant.

Frequentes palatii hujus everſiones & inſtaurationes formam ejus ita mutarunt, ut de nulla certi quid poſſit decerni. Multa in eo immutavit Fridericus I, plura Carolus IV, qui baſilicam novam exſtruxit. *Rudera palatii.*

Idem fatum Noviomagenſe & Aquisgranenſe habuerunt palatia. Aquisgranenſis baſilica, palatio hodieque ſuperſtes, architecturæ, Gothicam quam vocant, præſtans exemplar, turribus, turriculis, apicibus ornatum; cui Ingelheimenſem baſilicam operis præſtantia non inferiorem fuiſſe haud temere ſtatuimus. Faſtigia & pinnæ murorum, quæ in ruderibus palatii adhuc viſuntur, quæque prima & ſecunda tabulæ æri inciſa exhibent, ex Fridericiano ſeculi XII ævo potius, quam ex Carolino ſupereſſe videntur. Baſilicæ, quam Carolus IV reſtauravit, reliquias tabula III ſiſtit. *Tab. I & II.* *Tab. III.*

In Chorum baſilicæ translatus eſt quadrilaterus lapis oblongus, ſed illiteratus, imaginem femineam repræſentans ſtolatam, cujus nimbus, corona, ſceptrum & crucifer globus indicat reginam; quam exhibet tabula IV. Cujusnam reginæ imaginem repræſentet monumentum, ex attributis dijudicandum. Nimbus, diſcus ille ſolis vel lunæ, regum reginarumve capitibus ſuppoſitus, monumenta Merovingica a ceteris diſtinguit. Auguſtale *Lapis imaginem repræſentans Reginæ.* *Tab. IV.*

 hoc

pag. 391. Ex eccleſiis his pleræque S. Martino, nonnullæ S. Remigio dicatæ fuerunt. Carolomanno, qui eas inſtituit, Carolus Martellus pater vivus Auſtriam, Alamanniam, Toringiam ſub titulo ducis & principis regendas commiſit. Sub Carolomanno Bonifacius, Germaniæ apoſtolus, tres in a epiſcopatus conſtituit, quos inter Wirciburgenſis. Idem an. 744 monaſterium Fuldenſe exſtruxit. Anno ſequenti Carolomannus monaſticam vitam apud Italos elegit.

Digitized by Google

hoc capitis ornamentum a Romanis ad Græcos imperatores, ab his ad Franciæ reges tranſlatum, Clodoveanæ familiæ ſtatuis in San-Germanianæ baſilicæ porticu Lutetiæ Pariſiorum affixum conſpicitur. Singula regum & reginarum capita ibi ornata ſunt nimbo. Idem in Merovingicis Pariſinæ cathedralis baſilicæ imaginibus, quæ ex prima deſtructa in ſecundam translatæ ſunt; ut & in priſcis ſimulacris regiis Carnutenſis eccleſiæ non ſemel conſpeximus.

Deſcriptio lapidis.

Ingelheimenſem noſtrum lapidem Bernhardus Montefalconius inſpicere ſi potuiſſet, atque Carolingicam cum nimbo imaginem in eo ſpectaſſet, mutaturus ſane fuiſſet ſententiam, ille, qui nimbi uſum, ante familiæ Merovingicæ finem, jam deſiiſſe crediderat (y). Globus, orbem repræſentans Romanum, Romanis imperatoribus antiquis fuit in uſu, ut nummi nos docent. Cæſares Chriſtiani crucem addiderunt, qui a Græcis ad Franciæ & Germaniæ reges cæſaresque tranſivit.

Siniſtra reginæ manus tenet globum, dextra ſceptrum, ſimile illi, quod in San-Germanianæ eccleſiæ atrio inter Clodovæi filios Childebertus, Pariſiorum rex, tenet.

